










ACAD.
LVGD.



3988/A

RIS

,

THRI-

IR A-

G R Æ,

ni artus

TIO.

deinde latius

, *Medico-*

cinæ Can-

em


, COM.

EQVITE

t. RV-

,

IS



4

CIVITAS CORPORIS HUMANI,

à

TYRANNIDE ARTHRITICA VINDICATA:

HOC EST,

PODAGRÆ, CHIRAGRÆ, ET GONAGRÆ,


quæ, velut tyranni immanissimi artus extremos obsident, & excruciant,

METHODICA CURATIO.

Duobus auxiliis potissimum instituta, ac deinde latius clarissimorum, præsertim GERMANIÆ, *Medicorum testimoniis comprobata, inq; Medicinæ Candidatorum gratiam atq; vtilitatem concinnata & edita;*

AUTHORE

MICHAELE MAIERO, COM. PAL. PHIL. ET MED. D. EQUITE nob. exempto, olim Cæs. Maiest. RUDOLPHI II. aulico Medico, &c.



FRANCOFURTI,
Impensis LUCÆ JENNIS.

ANNO DCXXI.







AD MEDICOS, MEDICINÆ CANDIDATOS, & quibuſcunque res eſt cum Arthritide, ſeu Podagra, viros ordinis & ſtatus tàm ſuperioris, quàm inferioris;

EPISTOLA DEDICATOria, bonis auibus præmiſſa.



AD vos, Medici experientiſſimi, Medicinę Cādidati, & quicunque alii cum Arthritide ſiue Podagra conflictamini, & ab Empyricis, eius curationem pollicetibus, ſæpe circumducti ac decepti eſtis, aut alia experimenta fruſtra huic malo

adhibuiſtis, hæc mea dirigitur oratio, qua nõ aliquod problema ſophiſticum, aut aliud ſimile, cuius nullus eſt vſus, mihi defendendum, vobisq; perſuadẽdum, ſed ſanitatem omnium veſtrum, qua nil melius homini, dum viuit, cõtingere poteſt, percurandam, & poſtliminio reducẽdam ſuſcipio: Hic Rhodus, hic ſalta: Præclarum enim mihi operæ pretium feciſſe videar, ſi non ſolum in re multis deſperata & derelicta (qualis eſt Arthritis) ingenium exerceam, ſed quoque medica mea praxi abſentibus ægris vtilitatẽ eximiam conferam: Nam nobis ſolis, vt Tullius inquit, nati non ſumus, ſed partem noſtri patria, parentes, amici, imo quotquot Chriſtiani ac homi-

nes

nes, ſibi vendicant & addicunt, cum homo hominis gratia ciuilem vitam degat, omnemq; ſui ingenij fructum vicinis egentibus debeat: Poſſem equidem braſſicæ encomium cum Catone, & Podagræ cum diuerſis inſtituere, ſed ad quem finem? Nihil enim inde vtilitatis ad mundum perueniret, nec patiens braſſicæ vſum ideo magis expeteret, & delitias ſuas relinqueret, nec Podagra minus partes ægri extremas peteret, ac lancinaret. Hoc itaque, quod nunc ago, longe fructuoſius & conducibilius generi humano fore exiſtimo, quam ſi puriſſimis Latinis verbis de morbo aliquo prolixiſſime perorarem, aut poema conderem: Accipite ergo hoc noſtrum munuſcu-

lum, quod etsi verbis aut rebus non sit adeo politum, aut limatum, tamen cum ad vtilitatem hominum ægrotorum spectet, non est mihi dubium, quin vobis non ingratum futurum sit: CIVITATEM equidem dono, non Imperialem, muris circumdatam altissimis, sed chartaceam, ideam quandam eius, quæ in corpore humano existit: Vestrum erit, ciues illius ita regere, ne iniuria ipsis illata in sinum vestrum redundet, vnde conquerendi materia non deerit. Cur vero hãc nostram commentationem de eo affectu vobis acceptam fore nõ diffidam, si modo inspiciatis ordinem, ac remedia selectissima, causa multiplex est: I. Quia curam ipsam tempore intermissionis breuis-

ſime peragam tantum duobus remediorum generibus, facile vſurpandis, & eiuſmodi patientibus plærumque copiam aliorum faſtidientibus, ſatis accommodatis. II. Quia in hoc inſtituto non Empyricos, ſed dogmaticos ſequar Medicos, & ex iis probatiſſimos, præſertim Germaniæ, qui ipſi Germani Germanicos mores & temperamentum magis agnoſcunt, quam exteri, vt inter alios ſunt Crato, Solenander, & his ſimiles. III. Quia illi ipſi, a quibus latiorem demõſtrationem curationis mutuatus ſum, veſtros auos, aut proauos ſi non, tamen conſanguineos & affines ſæpenumero ab hiſce affectibus iis remediis vindicarunt,

& percurarunt : vnde minus dubitem, quin ipſis fidem maiorem adhibebitis. IV. Quia omnia illa, quæ ad ſcholaſticas quæſtiones hac de re magis, quam curationem ſpectant, hic omiſerim, & ſaltem nucleum ſolidæ & veræ huius affectus eradicationis protulerim: Quæ omnia non ex ſola methodo, ratione duce, deſumpſi, (hoc enim plus oſtentationis Medici, quam vtilitatis ægri præ ſe ferret) ſed ab experientia variorum authorum ſummæ claſſis hauſi, quorum verba eo lubentius retinui, vt de rebus non eſſet relictum dubium: Nõ enim de verbis multum curandum, cuius ſint, ſi de veritate, iis comprehenſa, conſtet: Quam nudam,

dam, (veluti Dianam aliquam in balneo) in hoc tractatu vobis offero, & consecro: satis commodi inde percepturus, si ægrotis solatio, vt spero, cessurus sit. Valete, sin minus, valetudinem vestram curate. Dabam Magdeburgi Saxonum, Mense Aug. An. M. DC. XX.

MICHAEL MAIERVS,
Com. Pal. Phil. & Medic. D. &c.



EPIGRAMMA AVTHORIS.

Fabula prisca fidem, vulgo applaudente, poposcit
In Lunæ syluas orbe, ferasq; tegi:
Imò prægrandis narrant ibi degere gentem
Corporis, ex ouo progenitam instar auis.
Oppida multa suis florere ibi culta colonis,
Ciuibus & Lunæ mille scatere globum.
Quæ iucunda quidem, sed non bene congrua menti,
Somnia sunt gerris & leuiora datis.
Non opus est, cœlis affingere falsa remotis,
In te descendas, te bene quò videas.
Oppida mireris tu in te ciuilia, Regem,
Et populos aulæ, Consiliiq; duces,
Magnus inest paruo mundus sub imagine mūdo,
Et specimen rerum iactitat orbis homo.
Uno corde velut dependet rege potestas
Omnis, ab hoc vno viuida flamma fluit.
Hoc regit affectus, & gaudia temperat iris,
Hoc pro se stimulis subdita membra rapit.
Illi intellectus, nec non frænata voluntas
Ad nutum prostant, seruitiumq; ferunt.
Illi terna cohors sensus motusq; ministra
Inuigilat, cerebri sicut in arce iugi.
Ne referam quinos hinc inde per ostia regni
Custodes, regerunt qui noua cuncta Duci.

Et qui

Et qui membrorum superest ignobilis ordo,
Quorum quodq; suis fungitur officiis.
Degitur vrbs imis homini sub pectore fibris,
Resq; viget tacito publica cuiq; sinu.
A te consilium, bene si te noueris ipse
Expete, visceribus Rex latet, ecce, tuis.
Tu rege te, moresq; tuos submitte regenti,
Omnia iudicii quæ ratione librat.
At non illa mei facies est extima scripti,
Hæc est à nostro res aliena scopo.
Tota Machaoniæ mea pagina seruiat arti,
Quæq; data humanis est Medicina malis.
Membra mihi ciues, cor Rex, præcordia regnum,
Morbus agens hostem, fert medicamen opem.
Ciuica membra Duci semper tutanda, maligni
Arcendi à vitiis Marte vel arte suis.
Sic Medici fuerit solatia reddere cordi,
Vt regat hoc artus, auxilioq; beet.
Tum non dira lues membris capitive nocebit,
Nec reprimet neruos, ceu grauis hostis, onus.

PRÆ-

PRÆFATIO AD Lectorem, continens diuisionem Tractatus in ſua capita.

CVRATIO illa Podagræ, aut Chiragræ, Lector beneuole, adeo famoſa hoc noſtro tempore habetur, vt plærumque deſperationem, tàm Medici, quàm patientis ſecum ferat; quaſi malum curatu impoſſibile, & Medico immorigerum ſit; idq; diuerſas ob cauſas: Primò, quia plærumq; agyrtæ, & circumforanei, Empyrici, nulla methodo, doctrina, aut ratione inſtructi, huius affectus curam promittunt, & ſuſcipiunt, quã cum perficere nequeant, non rarò patientem vſu omnino pedum aut manuum priuantes, vel in aliud præſentiſſimũ vitæ periculum, vnà cum emunctione nummorum præcipitantes, ſolum mutant, pedibusq; ſibi ſalu-

ſalutem, non ægri commodo, quærunt. Secundò, quia patientes aliàs facile irritabiles ſemel aut iterum ſic ab Empyricis circumuenti & decepti, nulli Medico, ne quidem rationali & experto, omniaq; auxilia cautiſſime adhibituro, fidem adhibent, omnes vno calopodio metientes, eâdemq; ſtatera iniqué ponderantes. Tertiò hac iniuria & præiudicio Medici dogmatici ab vtriſque tàm circumforaneis, quàm patientibus grauati eorundem affectuum curas faſtidiunt, & floccipendunt, ne ſcilicet ab ægris alioquin ad rem nimis attentis, & Euclyonibus præ Chiragra nil obferre benefactori Medico ſolitis, malam gratiam reportent, & cum Empyricis idem nomen obtineant. Quartò, impedimentum huius mali curationis non minimum eſt, quod Podagra naturalis Veneris & Bacchi filia dicatur, à quibus tanquam parentibus nutritur, fouetur, & amatur, adeo vt vix vllo artificio ſtorgæ illorum mutuæ obliterari, deleri, aut tolli poſſint. Hinc illæ Podagrico-

rum desperatorum desperatæ voces mihi sæpenumero auditæ: *Faciam quid lubeat, & patiar, quid deceat.* Cō tra quæ, quasi naturalia parentum & filiæ Podagræ desideria, non facile est remedium inuenire præsentaneum, nisi ipsius morbi soror Mors illud suppeditet, quæ est vltima linea rerum: Sunt plærique ex illis inueteratis & immogeris Podagricis (de aliis mihi non est sermo) satis intellectu & mente, vt sibi videntur, acuti, qui possibilia ab impossibilibus, & naturalia à supranaturalibus facile discernant; vnde miror eos trifolia quærere cum non ternis foliis, aut triangulum cum non totidem, sed pluribus angulis, aut ignem sine calore, & duos montes sine valle intermedia: Ea enim Deus non creauit, nec Natura, eius vicaria, admittit: Idem si non numero, tamen exemplo & ratione desiderant illi ipsi, dum voluptatem immoderatā corporis vel gulæ expetunt, dolorem verò ipsi connexum & indiuiduum pedissequum detestantur & abhorrent.

Nec verò minus dolor & voluptas cohærent, quàm ignis, & calor, vel trigonus, & tria latera per naturam: Voluptas circa tactum est (nec hic de animi, oculorum, aut aurium honestis recreamentis loquor) appetibilis qualitas, sensum per spiritus animales afficiens & neruos moderatè: quod si immoderatio accedat, generatur dolor illi contrarius; qui circa idem obiectum occupatur, & immoderatione sola differt à sua matre, Voluptate: Tollatur immoderatio, & vitia cessabunt omnia, & inter hæc voluptas, seu luxuria, eiusq; pedissequus dolor: Quod in humilioribus & decliuibus locis tempore pluuioso, si montes proximi sint, accidit, idem arthriticorum manibus aut pedibus vsu venit, si sint intemperantes, hoc est, Baccho, & Veneri dediti: Ex illis quacunq; arte exiccetur humor, mox tamen cœlo pluuio is redit, nō rarò copiosior, quàm prius, quia ita natura pluuiæ deorsum ruentis, & non aliter, disposita est, etiamsi in ipso loco nullum aliud sit vitium,

tium, quàm ſitus humilior: Eodem modo etſi multis auxiliis euacuetur humor Podagram vel Chiragram proximè faciens, tamen ſi idem in corpore coaceruetur, redibit ad cõſuetas & decliues partes, niſi aliter proſpiciatur illis: Vnde antiqui Medici barbari ab aliis dicti, non tàm Latino, quàm conuenienti, vocabulo, hanc in artus deſtillationem humoris vocarunt Guttam, quoniam guttatim & pedetentim à ſuperioribus membris in inferiora deſcendat, non econtra. Verùm vt hic Tractatus magis ſit conſpicuus in initio, eius capita ordine ſubiiciam, & Lectori ob oculos ponam: quem in duas partes diuiſum volo, Theoricam, & Practicam: Theorica, vt breuior, tribus primis capitibus abſoluitur: Practica ſequentibus nouem: Eaq; eſt propria, & aliena: Propria, ſolo quarto capite, ne varietate & copia faſtidioſa ſit, continetur: Aliena, ſubſequentibus, quinto, ſexto, ſeptimo, & octauo; hucuſq; curatio morbi, paroxyſmo non præſente: quo vrgente, remedia

Diuiſio Tractatus.

media nono, ponuntur; & quæ huc ſpectant, tribus vltimis contexuntur, hoc ordine:

CAP. I.

Quod in humano corpore ſit ciuitas, & quæ diuiſio vtrobique officiorum.

CAP. II.

Qualis ſtatus ſit Ariſtocratia, & quomodo in Oligarchiam mutetur, tam in humano, quam Reipub. corpore.

CAP. III.

Quæ remedia adhibenda in Oligarchia vtraq; generaliter.

CAP. IV.

Modus curandi affectus arthriticos per remedia ſpecifica probatiſsima duorum generum.

CAP. V.

Quod affectus arthritici a fluxio-

ne oriantur, & de parte, a qua fit fluxio, corrigenda.

CAP. VI.

De parte, in quam fit fluxio, roboranda.

CAP. VII.

De viis, per quas fit fluxio, intercipiendis.

CAP. VIII.

De humoribus, qui fluunt tam copia, seu quantitate, quam qualitate, corrigendis & educendis.

CAP. IX.

De paroxysmo vrgente mitigando, & patiente a doloribus vindicando.

CAP. X.

De reliquiis materiæ morbificæ, tanquam causæ proximæ motū impedientis, discutiendis, nec

non

non tophis, si qui sint, emolliendis, & absumendis.

CAP. XI.

De iis, quæ administrata nocent vel prosunt arthriticis, seu declinandis, seu vsurpandis.

CAP. XII.

De prognosticis, quæ curationem negligentibus, & medica auxilia floccifacientibus, Veneris & Bacchi prolytis, arthriticis immoderatis, prænuntiantur.



CIVITAS CORPORIS HVMANI,

à

TYRANNIDE ARTHRITICA VINDICATA, &c.

CAP. I.

Quod in humano corpore sit ciuitas, & quæ diuisio vtrobique officiorum.

SI cui paradoxon fortè videatur, quod tractationem hanc medicinalem, *Ciuitatem corporis humani à tyrannide arthritica liberatam* nuncupemus, ille consideret, hominem eodem respectu, & faciliori, nisi fallor, ciuitatem perhiberi, quo paruus mundus ab omnibus feré, tàm antiquis, quàm recentioribus proclamatur: Nec enim longè à pro-

proposito alienum est, vniuersum hunc mundum pro ciuitate vna, cuius ciues & membra sint cœli, stellæ, elementa, & hæ inferiores creaturæ singulæ, amplecti; quod cum de maiori liceat, minus absurdum erit de minore idem statuere; quod ex definitione generali ciuitatis cuiuscunq; erit conspicuum; quæ nihil aliud est, nisi *hominum diuersorum collectio in vno grege, sub vna lege, & eodem rege, seu magistratu, in vno loco contra hostiles incursiones magis vel minus securo, instituta, ad Creatoris, eiusq; verbi agnitionem, liberorum propagationem, vitæ propriæ bonorumq; incolarum defensionem coacta & gubernata*: In mundo maiore pro hominibus omnes Dei creaturas, in minore seu corpore humano pro iisdem, membra partesq; eius allegorice accipimus & intelligimus. Quis nostrûm primo respectu non agnoscat Solem & Lunam, cæterosq; Planetas, ipsos cœlos, & terrenum orbem, Angelos, & cæteras creaturas, pro suis conciuibus?

Quis nõ ad ſummum Regem, eiusq; legem ſeruandam, quo ad fieri poteſt, adſpiret, eiq; omnem obedientiam & ſeruitium præſtet? Quis non in hac Ciuitate ampliſſima aliquot vicos, aut domos, ne dicam regiones, pererret, aut ſemper in angulis ſui liminis deliteſcat, ſi non corpore, tamen mente? Inde nobis alæ illæ ingenii, artes Mathematicæ, Geometria, & Arithmetica, imò ipſa Aſtronomia, Optica, Phyſica, Logica, & cæteræ omnes liberales diſciplinæ, diuinitus ſunt conceſſæ, vt in hac magna Ciuitate mundana Regis æterni leges naturæ inſculptas obſeruaremus, & ex iis gratam de DEO famam ſpargentibus ad aliqualem eius cognitionem accederemus: Etſi enim non poſſibile eſt ex creaturis lumine rationis DEVM perfectiſſimè capere, & comprehendere, niſi accedat miraculoſa verbi Diuini reuelatio, tamen aliquam lucem noctuinis noſtri intellectus oculis de DEO animaduer-

aduertimus quaſi in crepuſculo: Nec enim ſumus ſtipites & trunci creati, aut etiam poſt lapſum relicti, (niſi forte ſpiritualia dona conuerſionis ad DEVM denotemus,) in ciuilibus & rationi ſubiectis: qui aliter ſentit, bliteus eſt, & brutus, imò ſaxeus, & truncus, nec magis ciuis huius magnæ Ciuitatis, mundi, quàm ſaxum, aut brutum: Sed nos hæc agamus: De Mundo minore, ſeu Ciuitate humani corporis noſtra intentio eſt dicere, cuius ciues, ſeu viſcera, & membra, cum Ethnicus ille Galenus (Moſi, Chriſtoq; noſtro, contrarius aliàs) per anatomiam rimaretur, eorumque concinnos ordines, officia, & functiones miraretur, in libro De vſu partium, ſe maius DEO ſacrificium hac deſcriptione præſtitiſſe affirmat, quàm ſi Hecatomben, ſeu centum boum oblationem, ad aram inſtituiſſet: Certè huic Philoſopho & Medico poſſibile fuit, DEVM ex operibus ſuis cogno-

ſcere, non qualis in eſſentia, & quantus ſecundum immenſitatem ſuam Devs ſit, nec qualiter ſe in verbo creationis, redemptionis, & ſanctificationis patefecit, ſed tamen verè & mirè ſecundum quid: Nihil enim de Deo omnino cognoſcere, eſt lignorum & ſaxorum, aliquid eſt vulgi apud Ethnicos, multum Philoſophorum quorundam, quatenus ſe patefecit in verbo, Chriſtianorum doctorum, quatenus eſt in eſſentia, & quãtus, nullus hominum in hac vita, etiam ex verbi reuelatione, comprehendit, imò ne milleſimam eius eſſentiæ partem: Quid enim lutum ſanguine maceratum, cerebrum humanum capeſceret in hac imbecillitate de illa luce & igne conſumente omnia terrena & humana? Quid homuncio vix trium aut quatuor cubitorum altitudinis ſe extenderet ad illam infinitatem, ad illam æternitatem, ad illam omnipotentiam? Qui ſcrutatur nimis Solem illum clariſſimum, ab eius radiis excœcabitur, &

oppri-

opprimetur: Quantum autem nobis ad ſalutem æternam adipiſcendam, de Deo cognoſcendo ſufficiat, tantum ex verbi reuelatione abunde cognouimus; quam cognitionem Ethnicis etiam ſapientiſſimis neutiquam aſſcribimus, licet generalem non negemus: Quocirca Galenus nobis excuſandus eſt, vt gentilis, quod blaſphemias dixerit in Moſen, cum verbi reuelati ne minimum cognouerit: At nos in hac Ciuitate humani corporis, præter communem illam, (eſſe Deum huius conditorem, ſummum, optimum, maximum,) notitiam, obſeruabimus ciuium, ſeu membrorum numerum, denominationem, ordinem, ſitum, functionem, & politica officia, quibus aliis alia inſeruiunt, & mutuas operas præſtant: In ciuitate politica conciues omnes illi æſtimantur, quicunq; mœnium ambitu eorundem deſcribuntur, ſiue ſint inquilini, ſeu exteri: Non autem ex vno aut duobus fit cœtus, ſed ex pluribus, qui, *De numero.*

quo numero magis abundent, eo fortior fit ſocietas, & amicabilior, quia onus, quod multorum portatur humeris, fit leuius, quàm quod paucorum: *Sic in Ciuitate corporis humani* ſunt membra & viſcera, hoc eſt, partes tàm internæ, quàm externæ, vice ciuium; quæ ea ſunt varietate, & numero, vt alia aliis ſubueniant: Sunt hic oſſa, venæ, arteriæ, nerui, tendones, muſculi innumeri, ſunt ſpiritus, ſanguis, caro, cutis, aliæque partes, tàm ſimilares, quàm organicæ diuerſæ; quarundam paria, vt vna pars ab altera in eadem operatione adiuuetur, ceu ſunt binæ manus, pedes, oculi, aures, nares, renes, teſtes, & his ſimiles: Vt enim non ex Medico, & Medico, Platone teſte, conſtat Ciuitas, ita nec ex pede & pede, aut ex manu & manu ſolummodo componitur Ciuitas noſtri corporis: Plures ſunt vtrobique differentes numero & officio ciues; Sunt Medici, ſunt agricolæ, ſunt alii: Quemadmodum enim in

Musica ex diuersis tonis fit suauisonans harmonia, non ex vno solo; sic in Ciuitate omni ex diuersis fit vinculum societatis: In homine pes pedi, & manus manui, fert opem; imò manus pedi, & hic illi: Nota enim est fabula de discordia membrorum corporis humani, quod hæc tandem in perditionē omnium cesserit. Habent quoque in Ciuitate singuli sua nomina, quibus distinguantur ab inuicem, sic & in homine partes, quarum aliæ aliis donantur nominibus, forte ab officio plærorumq; petitis, aut ab vsu communi mutuo sumptis. In ordine optimo quoq; singulæ partes sunt dispositæ, ita vt cloacæ, & loca fœtidiora, abscondātur, & remoueantur à propatulo, seu conspectu. Agnoscimus autem in systemate humani corporis quatuor inprimis aulas, seu consistoria, in quibus ordo magis est conspicuus, vt & diuersus situs: Primò, in corpore virili est venter inferior, subtegens nutritionis mēbra, & viscera:

De nominatione.

De ordine.

De situ.

Secundò, eſt officina generationis propendens aliquatenus extra iam dictum ventrem: Tertiò eſt camera cordis & reſpirationis: Quartò, eſt aula ſeu arx intellectus, inſtar ſummi Capitolii in monte corporis ſita, Dictatoris ſedes perpetua: Singula hæc conclauia habent ſua munimenta & mœnia, tàm externa, quàm interna, quibus membra ab iniuriis elementorum & circumſtantium hoſtium ſint illæſa, & tuta: Venter enim inferior circumcirca concluditur, peritonæo & diaphragmate intrinſecus, extrinſecus muſculis abdominis, dorſo, aliisq; cutaneis partibus: Mēbra generationis ſcroto terminātur, & teguntur: Thorax pleura interius, coſtis, & muſculis intercoſtalibus, diaphragmate, & aliis ſepimentis: Caput, ſeu cerebrum, menynge duplici, cranio, pericranio, & his ſimilibus: Quorum omnium vtilitas ex officiis ſingulorum admirabiliter elucescit: Sunt autem officia in ciuitate politica innumera, quæ non eſt

De officiis.

noſtri

nostri instituti hic euoluere, sed præcipua saltem ex iis delibare est operæ pretium, quo ad proposito conueniant,& accommodari possint: In omni autem Republica relatiuus respectus occurrit inter regentem, & regendos, hoc est, Regem, seu Magistratum, & subditos: Cum enim multa capita raro concordent, nisi ab vno regantur, sed in diuersas abeant sententias erroris & confusionis, ideo Deus instituit Magistratus, vt ipsi regerent diffusos, & tegerent inermes, consilio, potentia, & iustitia: Quemadmodum in magna illa *vniuersi ciuitate* Deus ipse se Regem constituit, ita in particularibus congregationibus alicuius populi voluit sibi vicarium Magistratum substitui, quo regantur alii; Vnde Magistratus cum vices magni & æterni Regis sustineant, à Sacra Scriptura interdum Dii vocantur. Differentia summi Dei, Regis æterni, & horum diuorum, seu Magistratuum, hæc est; quod ciuitas vniuersi seu magni mũdi ab

di ab illo Rege ex nihilo ſit condita
vt ſibi ſeruiret; econtrà in Ciuita
te politica omnes populi propte
DEVM ſunt conditi, & Rex ſeu Ma
giſtratus ex & ab illis electus & con
ſtitutus propter populum, vt illum
tegat, & regat, Deoq; in omnibu
obediat: Lex enim vt in ſalutem gre
gis, ſic Rex eſt propter gregem, no
grex propter Regem in politia: ve
rùm propter ſummum Regem ſun
inferiores greges, Reges, & leges o
mnes. Eodem modo in *Ciuitate hu
mani corporis* partes aliæ ab aliis robu
& vitam mutuãtur, atq; ſic primatu
non omnibus ex æquo conuenit. *Co*
primum dicitur in animali viuens, &
vltimum moriens; vnde vitam no
ab alio membro vel viſcere accipit
niſi ab anima, vt hæc à Deo; cæter
contra, quæ cordi hac ratione aſſu
gunt, vt Regi, & inſeruiunt, vt Do
mino. Magiſtratum itaq; Principem
in Ciuitate humani corporis Co
iure merito pronuntiamus, qui i
centro corporis ſeu media aula m
hitiſſ

Princeps inter mẽbra.

nitiſſima thoracis reſidet, & circumſtantia viſcera & membra ſuo calore viuifico illuſtrat & perfundit. Cordi ſubminiſtrant pericardium, ſiniſter & dexter ventriculus in eius ſubſtantia, vena caua, & aorta, vena arterioſa, & arteria venoſa, pulmo, diaphragma; Hi proxima miniſteria cordi præſtant, dum vel aerem optimum ipſi adferunt, vel malignũ euacuant, vel ſanguinis meliorem partẽ aduehunt in ſpiritus vitales motu cordis tranſeuntem, vel ipſos ſpiritus vitales & calorẽ aliis partib. totius corporis ſuppeditant. Officia hæc nõ ſunt vulgaria, ſed ſummæ dignitatis proxima: Senatorius hic eſt ordo ampliſſimus, qui cum Principe conſultat de ſalute populi totius, eiq; cõſilia, iura, immunitates, & ſenatuſcõſulta proponit. Calor natiuus à corde, tanquã officina primaria, dimanãs in omnia membra, æquitatẽ, iuſtitiam, & tutelam denotat: Spiritus verò vitalis, officia, dignitates vtiles, & honores: Affectus, vt ira, lætitia, metus, amor,

odium,

odium, & his ſimiles, ſunt impedimenta veritati & iuſtitiæ obiecta: Eſt præterea mens dictatrix, quæ in ſublimi ſolio ſpeculatur eminus omnia tàm cauenda quàm appetenda ciuitati; hæc vt boná, vtilia, & honeſta; illa, vt mala, damnoſa, & inhoneſta: Menti quinque ſenſus externi & tres interni famulantur ad nutum; de quibus aliàs copioſius à nobis dictũ: In inferiore ventre ventriculus, epar, & venæ meſeraicæ culinarium opus peragunt, vt ſanguis vitæ idoneus præparetur, & excoquatur: Superfluitates horum omnium, veſicula, fellis, lien, renes, veſica, & inteſtina craſſiora euehunt, & ex portis eiiciunt: In vtero & teſtibus potentia generatiua ſubſiſtit & prolificatio, ne ſpecies cum indiuiduo pereat, ſed permaneat. De externorũ artuum, manuum, & pedum officiis ſatis conſtat, quod hi ſint corporis baiuli, illæ opifices. Ex quibus omnibus facile perſpicimus, quales ſint ſtatus in hac ciuitate Phyſica, ſeu politiæ, ſeu œcono-

In theſib. de ſenſib. internis. Francof. ad Oderã An. 1593.

Pedes baiuli: manus opifices.

œconomiæ, quos delineasse, & quasi digito saltem indicasse hoc primo capite nobis sufficiat.

CAP. II.

Qualis status sit Aristocratia, & quomodo in Oligarchiam mutetur, tam in humano, quam Reipub. corpore.

IN tres omnino species Magistratus politicus olim, vt adhuc, diuisus, vsu ipso rerum magistro, inuenitur, nempe in eum, quo vnus omnibus præficitur, siue Rex, siue Princeps, aut in quem Optimates plures consentiunt, aut quando populus ipse imperii habenas penes se habet: Prima species est regnum, vel principatus: Secunda dicitur Aristocratia: Tertia, Democratia. Hæ, & non plures, à politicis omnis æui admissi sunt, licet mixti dominatus ex his, vel etiam degeneres non raro legantur: Nullum est dubium, quin mo-

narchia ſit perfectiſſima Reipublic
forma, in qua poteſtas ſumma ſit pe
nes vnum, ſiue Regem, ſiue Princi
pem: Verùm cum facile in tyranni
dem exorbitet, ab Ariſtocratia poſt
ſubuertitur: atque hæc iterum in
Oligarchiam tranſiens, à Democra
tia corrigitur; donec hæc iterum in
primam vel ſecundam ſpeciem eua-
neſcat, quemadmodum in Ægy-
ptiorum, Græcorum, Romanorum,
& noſtro tempore in Heluetiorum,
Batauorum, aliiſque Rebuspublicis
diſcerni & animaduerti poteſt. In
humani autem corporis Ciuitate
quam ſpeciem ſtatuemus? Sane ex-
actam monarchiam non poſſumus
cordi aſſcribere, quamuis primatum
inter cætera membra obtineat. Ad
Ariſtocratiam itaque mixtam cum
principatu referimus, quemadmo-
dum in Republica Veneta obſerua-
mus, in qua Magnates dominantur,
ſed ſub Principe limitatæ poteſtatis:
Cor, pulmo, thorax, nec non caput,
ſeu cerebrum, cum viſceribus aliis
prin-

Ariſto-cratia corporis humani Reip. Venetæ aſſimilari poteſt.

principalibus ad ſalutem corporis humani ſpectant; verùm cordi, vt principi, plurima indulgentur vota, dignitas, & excubiæ regales, vt ſub eo reliqua omnia vegetabilia firma permaneant, in ſuis quæque officiis: Cor fabricatur ſpiritus vitales in ſuis thalamis, per ſyſtolen & diaſtolen, hoc eſt, dilatationem & compreſſionem pulſuum in arteriis totius corporis ſenſibilium, eoſque defert ad omnes partes, tàm remotas, quàm propinquas, vt ſic illæ vita & calore imbuantur, & perfundantur: Pulmo aerem inſpiratum & exſpiratum ex thorace, adminiculo diaphragmatis, continet, & cordi pro refrigerio eundem puriorem miniſtrat: Epar eſt officina ſanguinis, ex quo totum corpus ſuccum & nutrimentum ſumat: Ventriculus epati quaſi miniſter eſt, præparans cibaria, vt ſanguis fieri poſſint: Oeſophagus tranſmittit cibos maſticatos in ventriculum: Dentes inci- *Officium Cordis:* *Pulmonis:* *Epatis:* *Ventriculi:* *Oeſophagi:* *Dentium:*

ſorii eoſdem diuidunt, & molares molunt: Lingua ſuos habet vſus multiplices; Quid dicam iam de cæteris? Eorum omnium officia ſunt conſpicua, & Medicis rationalibus notiſſima. Reſtant membra, vel viſcera euehentia ſuperfluitates & ſaburras corporis per ſua emunctoria, quæ, cum plebeia munia obeant, & non ſemper æqualiter à calore cordis & ſpiritibus vitalibus illuſtrentur, hinc fit, vt facile onerentur laboribus, & tardentur in functionibus; vnde contingit, vt indies materia in nobilioribus viſceribus generata ad hæc mittatur: Quemadmodum enim in aula potentiſſimi Principis, ex ſingulis conclauibus ſordes eiiciuntur foras, & quilibet à ſuis oſtiis onera illa ſubmouent, donec tandem ad loca ab aliis neglecta vel humilia deuoluantur; ſic quoque fit in humani corporis ciuitate nonnunquam, dum partes fortiores ad imbecilliores, cordi propinquiores, ad remotiores ſua excrementa amandãt:

Lingua.

Quod

Quod ſi imbecilliores poſſent reſpondere ſuis viribus ad ſe translata, aliò quoque mitterent: Hoc modo, ſi crapula & immoderatio in cibo & potu præcedat, Venusq; & Bacchus impenſius amentur, nec exercitium corporis diſcutiat ſuperflua, dum exſuſcitet calorem, atq; aliæ eiuſmodi cauſæ concurrant, tum in ciuitate corporis humani coaceruantur excrementa in prima, ſecunda, & tertia concoctione, hoc eſt, in ventriculo, venis meſeraicis, liene, epate, renibus, veſica, imo in totius corporis habitu, ſeu cute, præſertim in capite & pericranio; quæ deinde expelluntur ad ſua emunctoria; verùm quia illa vel obſtructa ſunt, vel aliàs impedita, excreta illa ab vno membro ad aliud propelluntur, à capite in collum, thoracem; hinc in crura & pedes; ex epate in venas, ex venis in habitum corporis, inde in extremas partes: Similiter ex aliis partibus ſemper deſcendendo, donec ad manus vel pedes materia ſuperflua deuenerit:

quam cum ſemper noua atque noua ſequatur, hinc facile imbecillitatem extremorum cauſatur, partim obſtruendo partes ſubcutaneas & neruis ac tendonibus proximas, nec non diſtendendo & lancinando, tàm copia, quàm acri qualitate impacti humoris: In Politia eſt ſtatus Ariſtocraticus ante relatus, qui in Oligarchicum degenerat, ſi Optimates ſupprimant inferiores, illisq; omnia onera & perpauca commoda demãdent: Et ſic fit tyrannis multorum, perniciem Reipublicæ ſæpenumero ſecum ferens, niſi ſubueniatur: Similiter contingit in *Ciuitate humani corporis*, quod paucitas caloris natiui & ſpirituum vitalium manibus & pedibus ſuppeditetur, cum ſint à corde eæ extremæ partes valde remotæ, & nihilominus ſuperfluitates pleræque totius, quæ euehi aliunde deberent, iis tranſmittantur; quod eo facilius contingit, quia in inferiori corporis ſitu collocatæ ſint, quorſum humores ſua natura defluunt, nec habeant

Tyrannis multorũ.

alias

alias partes, aut vias, ad quas ipſę vlterius amandent: Hinc Tyrannis oligarchica in homine tũ exoritur, quæ ſæuit & furit acerbiſſime in neruos & tendones manuum aut pedum, eosque inſtar carnificum lacerat, extendit, luxat, & ad omnem vſum motionis organa illa inutilia & manca reddit. Non me fugit, diuerſas eſſe cauſas à diuerſis ſtatutas arthritidis, quibus hac in parte neutiquam contradixero; ſiquidem in hac Oligarchia omnes illæ rationes ſunt ſatis conſpicuæ, & ſuum quæq; inueniũt locum: Nam vt non ſemper eædem perſonæ in Ariſtocratia ſtatum illum optimum perturbant, ſed nunc hæ, nunc aliæ; ſic quoq; in hac phyſica politia non ſemper caput, aut pericranium, mittit ſuas ſuperfluitates ad collum, & ſubcutaneas partes, quaſi recto fluxu ad crura, & pedes; ſed nunc epar, nunc ventriculus, nunc venæ meſeraicæ, nunc totius corporis, aliàs renes, nunc vna ex iis, aut ſimul plures: In omni autem eiuſmodi

Tyrannis oligarchica corporis.

Partes mittentes diuerſa.

fluxione ad pedes vel manus dolorifica hæc duo necessario concurrunt: Primò, quod sit emissariorum corporis, vtpote pororum, cutis, aut sudoris, alui aut vrinæ obstructio, si non totalis, tamen secundum partem: Deinde quod imbecillitas extremarum partium vel à casu antegresso contigerit, vel longa consuetudine fluxionis contracta sit: Potest & hæc adesse à natiuitate, vel statario opere: His accedit humoris copia, & ad fluxionem qualitas disposita & habilis, nec non viarum intermediarum laxitas.

CAP. III.

Quæ remedia adhibenda in Oligarchia vtraq; generaliter.

VT status politici, quotcunque sunt, habent suas periodos fatales, quibus mutationi & degenerationi sunt obnoxii, ita econtra iam perturbatis rebus omnibus, sua sunt

in promptu remedia, quibus adhibitis, in integrum restitutio speranda sit: Dum enim id, quod causæ qualiscunq; vicem præstat, tollitur, effectus, qui inde dependet, & profluit, perdurare nequit: Hinc in Oligarchia si onera inferiorum subleuentur, & obstacula æquitatis demantur, ita vt omnes ex æquo vtilitatem sentiant, qui damna; nõ est dubium, quin ad Aristocratiam fiat relapsus: Quid magis ad seditionem ciuilem classicum præcinuit, quàm subditorum grauaminibus non moueri, & rigore iuris vulgum macerare, & supprimere? An non innumeræ Respublicæ hoc modo euersæ, & funditus deletæ, eius rei testimonium perhibeant? Sic in ciuitate humani corporis perturbata, seu Aristocratia in Oligarchiam conuersa, nisi in tempore accommodatis subueniatur remediis, actum erit de toto salutis statu ac vita: Quam multi enim hinc inde occurrant, qui ex neglectis huic malo adhibendis auxiliis omnino

pro desperatis habeantur, vix credi potest: Nec verò illi ipsi quicquam in suam intemperantiam acrius dicunt, cui potius abblandiuntur, & palliationem lenociniis verborum quærunt, sed in Medicorum insciтiam & incuriam indies debacchantur, quasi curari à suo morbo nequeant: Verùm mala mens, malus animus: Si hospes quidam deses & iners habitet in quadam domo sordida, & cloacis repleta, vnde hæc minetur ruinam; quid illi agendum? an conuitia in innocuam cōgerat domum? an non ipse potius culpandus, qui nō tàm expurget, & exoneret? Sic quoque Arthritici intemperantes in Medicos insontes contumeliosi, sua vitia prius, ingluuiem, libidinem, furorem, ebriositatē, & his similia, detestētur, & fugiant, & sic Medico nō difficile erit morbum hūc perniciosissimum fugare: *Domui enim quærēda est dignitas potius ex domino, quàm huic ex illa:* Sic mens hominis corrigenda prius, & temperanda à vitiis, & hinc hospi-

hoſpitio, corpori, emolumentum continget euidentiſſimum: Sane ſi parſimonia eſt magnum vectigal ad diuitias contendenti, tum temperantia non minus erit ad ſanitatem: Intemperantia Medicorum nutrix recte dicitur, non autem ægrorum, quos ad perniciem ducit: Communiter dicitur, ſi tale additur tali, fit tãdem immenſus cumulus; idem de intemperie, qua ſi quis ſibi morbum conciliauerit, ac in ipſo morbo ab eadem abſtinere nolit, quis non videt, quod patientem penitus oppreſſura ſit? Ignis enim non extinguitur adiecto igne, ſed ſibi cõtrario elemento, aqua; ſic ægritudo ex luxuria, non eâdẽ, ſed continentia curatur: Nil itaq; magis patienti eiuſmodi commẽdatum eſſe debet, quàm temperãtia, & vitæ continẽtia: Ad hæc corporis exercitiũ & motio conueniẽs plurimũ confert: Hinc enim calor natiuus excitatur, excrementa ad ſua emunctoria mouentur, euaporatio ex cute euaneſcit, reliquiæ ſuperfluitatum

diſcu-

diſcutiuntur, appetitus excitatur, & cibis condimẽtum Laconicũ, quod eſt optimum, nempe fames, adiicitur. Vnde *Dionyſius Siciliæ tyrannus*, cum ſibi ius illud atrum, quod Laconicus quidam coquus ipſi præpararat, minime ad palatum eſſe diceret; Nil mirum, reſpondit coquus, cui condimenta Laconica defuerint, nempe labor, curſus ab Eurota, fames, quibus, tanquam condimentis, Lacones ſua iuſcula reddunt guſtatui acceptiſſima & iucundiſſima. Sic hiſtoriæ teſtantur, quoſdam diuites factos fuiſſe podagricos, qui cum mutata fortuna in pauperiem inciderint, adeo vt curſitare per multa miliaria geſtando onera coacti ſint, Podagram vnà cum diuitiis & delitiis amiſerint: Hinc apologus de araneo & podagra vulgo notus eſt, quorum ille ad pauperes, hæc ad ditiores diuertere ſolet; non quod ſordibus fugetur Podagra, ſed quia frugali vitæ inimica, luxurioſæ amica ſit. Cauſa autem, cur diuitum magis, quam

quàm pauperum dicatur affectus, multiplex eſt: Primò, quia diuitiæ ſæpe pariunt voluptatem, hæc dolorem podagricum: Secundò, rerum copia varietatem optimorum ferculorum miniſtrat, quorum cum plus aſſumatur, quàm concoqui poſſit, hinc cruditates & humorum ſuperfluitates in corpore exoriuntur, quæ deinde deturbantur ad extremas partes, vtpote debiliores, vt ante relatum: Tertiò, exercitium laborioſum deeſt illis, hinc omnes concoctiones ſcatent ſuperfluitatibus, nec fit conueniens excretio: Quartò, abhorrent à medicamentis plærumque, præſertim amaris & ſalutaribus: Quintò, fluxione facta fouent morbum eadem intemperantia cibi, potus, Veneris, mollioris lecti, quo fluxio magis irritatur: Et ſi plures ſint cauſæ, tamen hæ ſufficiant, atque his omnibus pauperes minus ſunt expoſitæ, vnde & rarius Podagra confli-ctantur: Pro generali itaq; remedio cuiuſcunq; mali arthritici vel ab humore

Cur Podagra diuitiorum affectus.

more

more superfluo exorti, hanc Hippocratis auream regulam non negligendam arbitrarer, dum inquit: *Sanitatem conseruari, morbosq; præcaueri, his tribus obseruatis: Semen genitale continere; impigrum esse ad labores; & in hebdomada quacunq; vna abstinere cœna.* Verùm quis his morigerus? Illum, opinor, qui huic affectui nunquam fuit obnoxius; non autem eum, qui ex intemperantia eundem contraxit: Permultos vini potores abstemii facti, & hydropotæ desierunt esse arthritici. At cur Bacchi & Veneris filia fingitur Podagra? Quia Venereo vsu frequētiore totum corpus non solum debilitatur, spiritibus vitalibus, potiore sanguinis parte, caloreq; naturali, exhauritur, sed quoq; infrigidatur, concoctiones omnes læduntur, superfluitates accumulantur, partes omnes, præsertim crura & pedes, emolliuntur, & flaccidiores redduntur; vnde sunt omnes aptitudines ad arthriticos affectus mox generandos. Quod si accedat Bacchus,

Podagra cur Bacchi & Veneris filia.

vt

vt pater, subministrat materiam fluxioni vberiorem; Dum enim vinum meracius ingurgitatur, omnes cruditates, quas inuenit in venis, secum euehit ad partes neruosas, & imbecillas; hinc nascitur naturalis filia ex vtrisque, Podagra, seu Arthritis: Sed his, tanquam qualibuscunque theoreticis præmissis, cum apud practicos alios solito stylo, quæ huc alias spectent, vberrime reperiantur, nunc ad praxin nostram, ab experimento multiplici, & hic in Germania & in Anglia, comprobatam, accedemus.

CAP. IV.

Modus curandi affectus arthriticos per remedia specifica probatißima duorum generum.

THEORETICAM huius doctrinæ partem præmisimus iam dictis capitibus, quatenus nobis est sufficiens; nunc practicam annectemus sequentibus, & quidem hoc

vnico capite totum curationis ſcopum, quo nos hucuſque vſi ſumus feliciſſime, adminiſtrabimus; idq; ideo, ne nauſeabundus Lector aut patiens de prolixitate & varietate remediorum & auxiliorum præſcriptorum conqueratur, aut remoretur, ſed quaſi in vno aſpectu totam curationis ſynopſin habeat & contempletur. Diuidam autem hoc caput in tres diſtinctiones, quarum prima tradam breuiſſime huius affectus indicationes curatiuas, iuxta methodum dogmaticam: Secunda, ipſa remedia, quæ numero ſunt bina, dictis indicationibus applicabo & recenſebo vnà cum modo & doſi eorum vſurpationis: Tertia, rationem conficiendi principale illud remedium adiiciam, ac ſi tempus & labor illi impendi non poſſit, locum, vbi haberi abſque fuco, & quibus morbis aliis in tempore adhiberi poſſit, tradere non ſubterfugiam. *De prima:* Eſſe podagram, chiragram, & gonagram ſymptoma dolorificum, ex fluxione

Diuiſio huius capitis in 3. diſtinct.

De prima. Symptoma.

xione excitatum; nemo ambigit, sed omnes, tàm Medici, quàm ægri, pro confesso habent, ab ipsa experientia instructi: Est quoq; morbus, alio respectu, diuersi generis, nempe organicus, in via, quatenus musculos & tendones causa eius obstruit, in quãtitate aucta, quatenus tumor adest, & similaris, quatenus calor partem affectam obsederit, imò est in sectione continui, quatenus villi & musculosæ partes à dolore distenduntur, & lancinantur; vt ita potius sit congeries morborum, quàm vnus morbus: Est quoq; ex eo genere, quod per vices affligit, & dat inducias: Nam veluti non fit Eurypus maris omni horá, sed certis interuallis, ex Lunæ diuerso motu; aut non semper fit inundatio fluuiorum, nisi tum, cum niues in montibus aut agris resolutæ, aut continui imbres concurrerint, & diluuium quoddã fecerint; sic quoq; non semper aut continue vrget podagra, aut arthritis, (nisi fortè totum occuparit corpus ex diutina mora & *Morbus.*

incuria, & commendet se Morti sorori,) sed habet certos paroxysmos, quibus infestat, & tempora intermissionis: Quando omnino intermisit, vel magna ex parte, tum eius curatio, hoc capite tradenda, non alio paroxysmi tempore instituenda est: Cum dolor adest, ac tumor, tophi aut calor, seu paroxysmus, tum alia cura paroxysmo debita, capite nono, præscribenda erit, quod hic in initio monuisse conuenit: Esse itaque fluxionem ex catarrho vel aliunde ortam causam arthritidis statuimus: Est autem fluxio causa sine qua non; materia fluens, dum est in fluxu, nec dum compacta in parte affecta, causa antecedens; impacta, seu cum iam influxerit, causa continens, seu proxima; intemperantia in cibo, potu, Venereis, ira, & his similibus, causa externa, seu procatartica: Ex his constitutis, ita indicationes eruimus, & ordinamus: Materia arthritidis, antequam incipiat fluere, ex corpore per sua proxima emissaria extur-

Quando curanda.

Indicationes.

xturbanda est, idque in contrariam
ius fluxionis viam, si fieri possit:
um enim dupliciter fluxio inhibe-
ur, nempe euacuando, & reuellen-
o; si secus, hoc est per viam rectam
um fluxione, tum periculum esset,
e ad partes proximas imbecillas
eret transcursus, & descensus: Ad
æc pars illa, quæ imbecilla est, &
oacta fuit cloacam reliquorum
nembrorum suscipere, roboranda,
stringenda, & in naturali sua tem-
erie confirmanda erit: Quibus
uobus rite institutis, & perfectis,
on erit verendum de incursu ali-
uo arthritidis: Nam si materia
on sit in corpore, quæ fluat, nec
ocus, seu pars, ad quam fluat, aut
uxio admittatur, tum hoc tempore
on poterit fieri fluxio: Qua ratione
singulis temporibus semel, bis, vel,
i opus, sæpius in anno, patiens ante-
iertat paroxysmum hac sua proui-
la præseru ndi via, ab omni ar-
hritide immunis erit: Non im-

moderationem in sex rebus non naturalibus dictis esse plærisque arthriticis appropriatam, ideoq; esset Æthiopem lauare, nimis strictam & accuratam victus rationem arthriticis præscribere, quam centesimus eorum vix obseruat; nihilominus ea quæ nocent aut prosunt arthriticis cap. 11. subiiciemus. Dicat verò quis

Obiectio. durum erit mihi, per totum vitæ spatium singulis annis toties purgare corpus, & debilitare naturam: Huic

Responsio. respondeo? Natura debilitata ab onere humorum, confortatur ab hac purgatione, & non debilitatur: Deinde nec opus erit, semper ea vti, sed eo vsque, donec partes imbecilles affici solitæ, sint satis roboratæ, & materia, quæ fluere solebat, bona diæta vel exercitio, labore, motu, & cursu discutiatur, consumatur, vel in consueta naturæ emissaria relegetur. *De*

De secunda: Primum auxiliū. *secunda*: Materiæ itaque mox fluxuræ in partes affectas remedium simul euacuans copiosissime & reuellens *vomitorium specificum*, *Aurelium nostrum*

ltrum puluerem dictum, addicamus,
& addicimus, vſu ipſo & ratione ſi-
mul edocti: Volumus autem, vt gra- *Doſis.*
na iij. iiij. ad vj. vſque, eius pulueris
ſumantur eo tempore, quando paro-
xyſmus inſtat, nec dum iam incur-
ſionem fecerit, (quamuis in ipſo
paroxyſmo & vrgentibus doloribus
idem optime reuellẽdo & euacuan-
do conueniat,) in aqua ſtillatitia qua-
litatis calidæ; vtpote aqua cinamo-
mi, aniſi, vitæ ſpiritu vini, aut ſimili,
cum cochleari, puluiſculo bene mix-
to, & per liquorem diffuſo, vt, ante-
quam ſubſideat, ebibatur, & pòſt v-
num aut alterum cochlear eiuſdem
liquoris ſuperbibatur, donec nihil in
ore, vel faucibus, aut œſophago hæ-
ſiſſe ſentiatur, ſed tota doſis cum li-
quore in ventriculum deſcendat:
Teneat patiens ſe in lecto calide, &
ab aſſumptione à ſomno, & aliarum
rerum ingeſtione abſtineat: Eſt au-
tem hoc medicamentum *Mercu-
riale*, ideoque magna pars humoris
ſuperflui & euacuandi ad os recurrit:

Modus operationis. Operatio hoc modo plærumq; perficitur: Quamprimum hic puluiſculus fundum ſtomachi attigerit, incipit attrahere humores primò viciniores, deinde remotiores in ventriculum; quorum copia cum adfuerit attracta, pars aſcendit per œſophagũ in os, & replet illud ſputo, quod continue in peluim expuendum eſt; maior verò pars eiuſdem humoris manet in ventriculo, quem dum ſua copia aggrauat, fit nauſea, ructus, & mox leuis vomitio; quæ toties redit, & in tanta frequentia, quoties & quanta opus fuerit: Interdum eiuſmodi humoris vna libra, nonnunquã duæ, tres, aut quatuor, vel etiã plures excernuntur, pro natura ægri, & humoris ſuperflui copia vel facili eductione: In quibuſdam prima vice parũ mouet, ſi humores ſint magis fixi, vel aliàs æger non facile commoueatur; Huic & altera vice medicamentum idem propinetur; & effectus ſequetur optatus: Etſi enim prima vice nihil aut parum educat, tamen humores

mores fluxiles, & ad eductionem paratos reddit, vt ſecunda vel iterata vice facilime maiori abundantia ſequantur: quod non fit in aliis quibuſcunq; purgationibus ſcammoniacis, elleboratis, aut alhandalatis, quæ, ſi nihil educant, non ſine noxa retinentur: Cauſa eſt, quia illa vim violentam, qua trahunt, & expellunt, adiunctam habent vnà cum calore & ſiccitate; hoc autem humiditatem inprimis cum temperata caliditate: Humida autem expulſionem magis iuuant, quàm non humida: Imò tota vis expulſionis in humiditate conſiſtit, vias laxas & expeditas, & materiam fluxilem reddendo, vt patet in prunis Vngaricis, & eiuſmodi aliis: Caliditas itaque huius pulueris attrahit humores, aut potius qualitas illa occulta purgatrix, ac deinde humiditas adiuuat expulſionem: Vnde contingit, vt per grana iij. huius pulueris non raro tres libræ humoris peccantis per os & aluum

educantur, absque vlla violentia, nec impetuosé, sed pedetentim; quæ quantitas (nō respiciendo serosum,) vix ternis aut quaternis magnis dosibus colocyntide & scammonio instigatis educi potest, imò, si lentities humoris consideretur, vix denis aut quindenis: Nec verò de quantitate eiiciendorum iudicandum est, sed potius de qualitate, & facili tolerantia ægri, iuxta Hippocratis aphorismum: *Si qualia purgari oporteat*, &c. Si prima vice itaque satis, & quale purgari deceat, purgata sint, non opus est continua repetitione; si secus, repetatur secunda vel tertia die, donec quantitas excretorum videatur correspondere quantitati superfluorum in corpore humorum. Corpore sic satis purgato, cibus offerendus erit conueniens; quod si, dum excretio per os durat, offeratur, plærumque operatio impediri solet, aut minus feliciter perfici; quia natura non potest concoctioni in ventriculo, & simul expulsioni prauorum hu-

Cautiones.

morum

morum exinde intenta esse; quamuis tamen sæpe vomitio pituitosorum humorum, cibo bono in ventriculo remanente, contigisse visa sit: Si somnus obrepat, antequam eadem cesset sputatio & vomitio, tum idem impedimētum occurrit, quod nimirum operatio imperfecta accidat: Ad hæc illud incommodi tum sese ostendit, quod dormiente ægro, antequam cesset ptyelismus seu sputatio, materia sputi lenti & viscidi inhærescat linguæ, ori, labiis, & faucibus, ibiq; tumusculum & ardorem causetur; quæ symptomata non sunt tanti momenti, vt propterea tota hæc curatio fastidiri debeat: Nam non contingunt omnino, nisi se secus, quàm debeat, patiens gerat, nempe superdormiendo, & nil egerendo ex faucibus; nec verò tum semper, sed si negligentissime se habeat, nec collectam materiam dignetur expuere; etiam tum, cum vigilat. Posset quoq; fieri, vt materia excernenda sit adeo acris, putrida, & cali-

da, vt ſua mala qualitate id efficiat, hoc eſt, fauces & linguam corrodat; quod tamen eſt abſque periculo; & ſignum eſt, perditiſſimos humores, qui retenti aliàs totum hominem perderent, eſſe euacuatos; cum eiuſmodi veſtigium ſuæ malignitatis relinquant: Verùm facile eſt obuiam ire huic faucium ardori, ne contingat, qualeſcunq; ſint humores, acres, aut bilioſi: Et ſi iam acciderit, mitigatio eius & curatio ſit in promptu:
Præcautio. Præcautio eſt, exſpuere omne, quicquid in ore congeratur, ne ibi moram diutinam contrahat: Deinde non ſuperdormire, vt dictum: Tertiò cum liquore aliquo os ſæpe eluere, & abſtergere, ne quid inhæreat muci, aut lenti humoris: Liquor ille ſit vel aqua communis cum melle; vel hydromel, vel cum ſyr. roſ. viol. ſaccharo, & his ſimilibus innumeris facile parabilibus: Si iam ardor contigerit, ſemina cotonei contuſa in aqua prunellæ diſſoluantur, vt fiat mucilago, quæ temperetur cum

ſaccha-

ſaccharo, vel ſyr. roſ. aut violat. vel huius vice conueniet aqua ſtill. mentæ, veronic. chamomil. vel decoct. ex illis cum ſaccharo; Bolus armenus ſi adiiciatur, magis ſiccat, & refrigerat, qui per ſe cum ſaccharo in aqua ſolutus aliquando ſufficit; atque ſic primis indicationibus, quæ cauſam antecedentem, fluentem, vel antequam fluat, euacuet, & reuellat, ſatisfecimus. Reſtat parti imbecillæ, & infeſtari ab illis humoribus ſolitæ, confortatio ſuperaddenda; quæ *ſecunda* eſt præcautionis, ſeu curationis, particula; Debent autem eodem tempore partes vel artus imbecilli corroborari decocto aliquo aſtringente, calefaciente, exſiccante, reliquias impactas diſcutiente, & tenorem partium dictarum conſeruante; quod hoc modo fieri curaui: Accipe flor. chamomæl. thymi, origani, ana p j. coquantur in q. ſ. aquæ communis, colaturæ iniice ſulphur, ſal, & alumen, ana æquis partibus, ad ℥. ij. vel *Secũdum auxiliũ.*

vel plures, & coqu. quo ſæpe partes imbecillæ foueantur calidè, & per ſe exiccentur: Poſſunt non ſolum partes affectæ ſeu imbecillæ eo rigari & confortari, ſed etiam intermediæ vię coarctari & concludi, ne materiam aliquam fluentem admittant: Alii chalcanthum, ſeu vitriolum, vel bolum armenum, vel gallas, nuces cupreſſi, hypocyſth. & his ſimilia adſtringentia dicto decocto adiicerēt, quod non deteſtamur; ſed quia hæc non ſemper ſint in promptu, ac prætereà decoctum colore atro vel rubro inficiant, hæc, vt minus grata, relinquimus: Quod ſi tibialia lintea vel manicæ, & extrema interulæ prędicto decocto imbuantur aliquoties, & toties exiccentur, deinde geſtentur, corroboratio crurum, pedum, & brachiorum hoc quoq; ſtratagemate continget abſque noxa aut moleſtia. *Tantum* de iis. Sed hic duas inprimis obiectiones tàm à Medicis quibuſdam, quàm patientibus, moueri prę-
1. Obiect. uideo: Vnam, quod non ſit tutum à
parti-

partibus minus principalibus ad magis principales, hoc eſt, à ventriculo, inteſtinis, aliisq; viſceribus, & partibus extremis ad cor, pulmones, carothides, venas iugulares in anguſtiſſimo colli angiportu ſitas, linguam, os, oculos, aures, & ipſam cerebri ſubſtantiam, ſaburram corporis, & humores ſuperfluos euacuari, & ſuperius educi, quod cum hic fiat, ideo hoc curandi genus ſuſpectum & periculoſum fore, cum morbis lethalibus, vt apoplexiæ, epilepſiæ, anginæ, & his ſimilibus materiam & cauſam ſuppeditet. Cui reſpondeo: Fatendum eſt, ſi corpus ſit humoribus prauis pleniſſimum, & ad ſummum repletum, vt in quibuſdam morbis, exempli gratia, hydrope, aut viſcerum extremis repletionibus, (vbi in corpore interdum centum, plures vel pauciores praui humoris libræ abundent, & quaſi omnes viæ & cauitates ſint refertæ fæcibus,) quod ſi tum ab imperito Medico commotio humorum in ſuperiora ex improuiſo, *1. Reſponſ.*

præ-

præparatione aut detractione per alvum non præmissa, instituatur, non vacare periculo, nec tutam esse satis hanc viam aut portam angustiorem, per quam tanta caterua impetuosè ruat: Tum enim, quod in angustis viis aliàs accidit, vt obuii quamplures obuios protrudant, & pessundent, imò omnem commeatum obstruãt, & impediant, hic quoq; euenturum probabile est: Verùm in arthriticis aut podagricis non potest tanta materiæ copia abũdare, quanta ad hanc obstructionem est necessaria, siquidem in illis ideo natura paroxysmos arthriticos inducit, quod materiam abundantiorem, & viribus patientis non tolerandam statutis temporibus, bis, ter, vel semel in anno ex corpore in partes extremas imbecilliores amandet, atq; hinc educat: Hac enim ratione podagra vel arthritis, toto suo genere aliàs detestãda, toleratur,

Podagra cur toleretur à quibusdam, vt Luciano, D. Erasmo, Bil. Birckheimero, Victorio Rhacatomi. Iacob. Pontano, Salom. Frencelio, Hier. Cardano, Ioh. Cannari, Georg. Bartol. Pontano, qui encomia Podagræ cecinerunt.

tur, & à quibuſdam pro alexiterio morborum aliorum extremorum, & prorſus lethalium attollitur, ſuâ laude digna, ſcilicet ſecundum quid; Non itaq; periculum erit in arthriticis quibuſcunq; hanc euacuandi ſpeciem per os & ſuperiora vſurpare, quoties opus erit: Etſi verò Hippocrates in aphoriſmis bilem per ſuperiora, reliquos humores per aluum duci debere, doceat, tamen ibi de partibus ventriculo vicinis tantum intelligendus eſt, vtpote cum in ſtomacho, vel venis meſeraicis, veſicula fellis, alibiq; bilis flaua, vel pituitoſus humor, redundet, multa fluxione exiſtẽte, ſed ſola abundantia euacuationẽ indicante: Verùm hic reuulſio humoris peccãtis in ſtomacho & venis quibuſcunq; abundãtis vnà cum fluxione ad inferiora, indicatur, vt remediũ præſentiſſimũ, præſertim ſi copioſe educat materiam reuulſam: Vnde ſi in arthriticis, præſertim podagricis, deorſum inſtituatur purgatio, nõnunq̃ materia mota & nõ per-

fecte

fecte educta diſturbatur ad partes inferiores, affectas, ita vt exacerbatio paroxyſmi potius fiat, quàm præcautio, vel auerſio, aut diminutio eius: Ad hæc viſcoſa aut etiam ſeroſa cum bile mixta materia longe facilius & citius per ſuperiora, quàm inferiora educitur, nec in anfractibus inteſtinorum diutius adhæreſcit, & ſymptomata dolorifica ilei, coli, aut ani, cauſatur, vt ſæpenumero fit: Interim tamen non improbamus omnem per inferiora purgationem, ſed in hoc caſu, illam per ſuperiora purgationi per aluum præferimus collatione vtriuſque facta. Altera obiectio eſt, quod medicamentum noſtrum Vnde à multis venenoſum eſſe, vel cum venenoſis præparatum exiſtimabitur: Scimus enim, quàm malè audiat vulgo Mercurius. Sed huic obiectioni partim alii ante nos, & nos alibi ſatisfecimus, partim hic, licet breuiter, reſpondemus: Mercurium ſublimatum, vt venenum lethale &

II Obiectio.

II. Reſp.

per-

pernicioſum deteſtamur, nec vnquam eius intra corpus ſumendi authores ſumus, quomodocunq; præparetur in Mercurium dulcem, aquilam albam, vel alios modos ſuis nominibus glorioſis vocatos, (licet ſciamus, Chymicos fere omnes noſtri æui illud medicamentum approbare, ab omni noxa alienum atteſtari, & in perſonis quoq; ſummis vſurpare frequentiſſime cum bono ſucceſſu,) cum ignoremus, iuxta illud: *Neſcis, quid ſerus veſper vehat*: num venenum retardari in viribus, ac poſt ad priſtinam malitiam recurrere poſſit, quemadmodum in morbo Gallico experimur, quod eius ſeminaria diutiſſime abſq; vlla intermedia noxa in corpore humano delitescant, ne quid de veneno canis rabioſi, aut aliis eius generis adducamus: Sic Mercurium præcipitatum cum ſalibus & corroſiuis abhorremus, & quæcunque ſuſpicionem veneni aut corroſionis vllam habeant: Verum non propterea omnem Mercurium,

aut Mercurialem ſubſtantiam venẽnum pronuntiamus, aliàs aurum, quod nihil eſt, niſi Mercurius, vnà cum aliis innoxiis Mercurialibus reliceremus: Diſtinguendum itaq; inter venena & alexipharmaca, inter gladii & ignis vſum nociuum & defenſiuum, abuſum, & ſummam vtilitatem: Quantas vires *Phædro* ſuo Mercurio præcipitato, *Crollius* eidem cum oleo ſulphuris per campanam facto, & alii aliis id genus attribuant, ex illorum libris notum eſt; quibus quoque nihil detractum volumus, niſi obiter hoc adiiciamus, quod pharmacopœus Colonienſis quidam I. D. inſignis Chymicus, iuxta præſcriptum illius vltimi eum fecerit accuratiſſime, (quem in flauo colore inſtar ſulphuris communis palleſcente mihi oſtendit,) ſed effectum adeo laudatum ab eodem minime offenderit, corroſiua vi ſulphuris omnem eius medicamenti qualitatem corrumpente, & ſuſpectam reddente: De hoc verò noſtro id
ſuſpi-

ſuſpicari nemo præſumat, cum abſque vlla corroſione aut additione corroſiui factus ſit: *Cuius modum* generalem hic, velut promiſſum, adiicimus: Accepi mineram à natura productam clariſſimam, inſtar glaciei, abſque vllis heterogeneis puriſſimam, cuius ſi anatomiam phyſicam inſtituamus, compoſita animaduertetur ex Mercurio & ſulphure: Mercurius ille continet in ſe argenti aliquot grana, & ipſum argentum, ſi colligatur ad iuſtam quantitatem, aliquot auri grana iterum abſcondit: Eſt itaque illa minera tanquam aula auri, & mater argenti naturalis, imò eſt aqua viſcoſa impraegnata à ſulphure, donec hos conceperit embryones: Liqueſcit in igne valido, eſtque radius ſuperioris ſphæræ: In puluerem nigerrimum tunditur, & igne lento in vaſis terreis tenetur, donec ſubalbeſcat, idq; fit nono fere menſe, non prius, ac tandem decimo mēſe maturatur in argentū viuum fixum ſubflauum / De ſtibia. ♁ Stia

quod autem tantum temporis requiratur, ratio est, quia si igne aucto vrgeatur, liquescit, nec fit separatio eius sulphuris, si lento per gradus, sulphur illud non prius abigi potest, interpositis contritionibus in marmore, noctuq; diuq; calore nō cessante: Cum eo vsque peruentum est, imbibitur cum argento viuo vulgi, idq; ter, vel quater per vices, & igne superne vaporoso agente in balneo sicco intra menses duos habebis Mercurialem substantiam citrinam, duplicem, fixam & volatilem, masculam & fœmineam, quæ est *nostra dicta Medicina*: Quod si hic modus operosus nimis videatur, eligatur commodior via; nos hac contenti fuimus: Si verò non cuiusuis sit Medici, aut patientis, tantum temporis, laboris, aut sumptus, huic operi impendere, & interim quis eius pulueris vsum ad eradicationem tanti mali non reformidet, sed maxime desideret, is saltem proximū sibi pharmacopœum moneat, vt ad præscriptam formam

Puluis Aurelius vbi haberi possit.

(sed

(ſed abſque fuco,) dictam medicinam præparet, vel, ſi neque id tuto aut commode fieri poſſit, vt à nobis quantitatem placitam pro ſuo pretio accipiat, inq; vſus aliorum iterum diuendat: De eo non eſt dubium, ſi ſemel aut bis ſe quis hoc medio à Podagra præmunitum viderit, quod in valore & pretio inæſtimabili id habiturus ſit, ſoliq; Deo hinc gloriam & gratiam relaturus. Nec verò hoc remedium tantum arthriticis conuenit, ſed æque omnibus ex humorum colluuie quacunque laborantibus auxiliatur, quaſi in vna hora omnem labem morbificam copioſiſſime cum ægri facili tolerantia educendo, vt ſunt *febres tertianæ, quartanæ, quotidianæ, melancholia hypochondriaca, calculus, obſtructio viſcerum, lienis, epatis, veſiculæ fellis, meſeraicarum, emulgentium, vreterum, vteri*, & in ſumma omnium humorum exceſſus, & ex his morbi, aut ſymptomata; Vbi tamen in angina, colica, & nonnullis aliis affectibus potius refectionem, quàm

Quibus aliàs conueniat.

Cautio.

detractionem superflui poscentibus Medicus rationalis caute procedet, bene considerans, *optima medicamenta pessime vsurpata, pessima euadere*, & vsum cum gladio & igne communem & ambiguum habere: Quid enim est gladius in manu stulti? pernicies hominum: Quid ignis? Pyra ædificiorum: Sic *Remedia aut*, Herophilo teste, *sunt Deorum manus, si bene & in tempore applicentur, aut nihil, si secus.*

CAP. V.

Quod affectus arthritici a fluxione oriantur, & de parte, a qua fit fluxio, corrigenda.

HACTENVS nostram praxin, tàm præseruatiuam, quàm curatiuam arthritidis ea breuitate, qua fieri potuit, dedimus, non quasi existimemus ex crassa mentis ignorantia, nihil amplius ad perfectionem huiusce curæ absoluendam requiri; sed,

ſed, vt prædictum, ne faſtidioſum patientem, qui hæc noſtra legat, in primo occurſu abſterreamus, & ſic ad deſperationem de ſua ſalute vnà cum multis aliis redigamus: Duo itaque iam tradita remedia ei ſufficere poſſunt, qui pluribus vti nequit: Quibus ſi plura adiiciamus, in axioma illud incurrere videbimur: *Fruſtra fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora:* Verùm ſi quæ ſuperflua ſunt, non noceant, & quæ non proſint ſingula, multa iuuent, non abs re cenſendum eſt, ſi omnia illa, quæ vllo modo arthritidis curationi conueniunt, & apud probatiſſimos noſtri æui authores extant, in medium producantur, non quaſi ſumme ſint præterea neceſſaria, ſed quia perfectioni abſolutæ proximè accedant: Conquiramus igitur ex ſelectis practicis harmoniam quandam ſententiarum, qua non ſolum patienti hanc noſtram curam poſſibilem demonſtremus, ſed quoque aliis, ſiue Momis, ſeu

Cur demonſtratio ex aliis fiat.

Mimis eam cum omnium recte ſentientium Medicorum opinionibus & placitis, ipſaque ratione & experientia conuenientem latiſſime comprobemus: Accedit, quod non ſolum vtroſque hac in re dubios confirmet hæc traditio, ſed quoq; remedia ſæpius cum ſumma ægrorum ſalute experta & ſelecta in vnum quaſi conſpectum producat, vt inde, quid vſui futurum videatur, accipi poſſit: Quod vt ordine instituatur, proxime ſequentibus capitibus quatuor de iis, quæ ad omnem affectum à fluxione pendentem ſpectant, tractabimus: Cur verò ego contentus fuerim duobus ſaltem remedii generibus, nec multa alia in curatione adhiberi velim, ex ipſa ratione & experientia mutuatus ſum; In quibus etſi nullo authore monente, acquieſcere potuiſſem, tamen inueni quoque alios eiuſdem mentis; Inter quos inſignis trium Imppp. Medicus *Crato* eſt; qui conſil. 228. ſic habet: *In podagrico dolore duo præ-*

Crato.

cipue

cipue consideranda sunt: Fluxio, & materia fluens, atq; membrorum, seu pedum imbecillitas. Idem consil. 221. *Caput & summam curationis podagræ esse statuo, efficere vt corpus serosis humoribus vacet.* Idem consil. 246. *Ne articulorum morbus grauior emergat, cauendum: Id quod consideratis causis fieri necesse est: Causæ vero duæ sunt; Vna, morbifici humoris natura; Altera, partium laborantium imbecillitas.* Solenander quoque consil. 20. section. 1. *Ad duas*, inquit, (causas) *rediges omnes fluxiones, ad juncturarum & artuum scilicet imbecillitatem, atq; superflui & superabundantis humoris in corpore copiam, quorum si vna desit, impoßibile est, vt vnquam arthritis exagitet: Nam si imbecillitas est artuum, non præsente humore, qui influat, & qualitate noceat, vel quantitate grauet, erit quidem quoddam motus impedimentum; at nullus tumor, nullus dolor: Contra si iuncturis robustis ingenitus sit nocens humor in corpore, potius quemuis alium morbum excitabit, quam hunc: At eo in corpore genito & parti-* Solenand.

bus extremis imbecillis, omnino onerentur hæ necesse est, dum expultrix principum partium vegeta fuerit: Etenim in eare fit, vt solet in Republica: Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui: *quod principes in ciuitate viri & primates committunt erroris, & delinquunt, fere in plebem, eamq; infimam, solet exonerari, pellentibus à se robustioribus, & imbecillis resistere nō potentibus.*
Montuus. Hæc ille. Eiusdem sentētiæ est *Montuus*, qui primam arthritidis causam humorem cum omnibus aliis rationalibus Medicis statuit, de quo nulla est controuersia: Post, *Altera*, inquit, *causa arthritidis est partium imbecillitas: nam quæcunq; articulosis contingunt circa articulos, imbecillitas eorum causa est: Arthritici vniuersos articulos imbecilles habent: Nam citra imbecillitatem non fiet paßio isthæc: Quoniam membra fortia, quod in ipsis redundat, ad infirma delegant, & hæc rursus ad infirmiora transmittunt, donec in partem decumbat, quæ vim excretricem vicinis omnibus imbecilliorem obtinet, & perinde ex*

de ex se propellere recremētum nequeat; Ex quo patescit, quod in corporis particulis fit idem, quod in ea mala Republica, quam Aristocles vocat ὀλιγαρχίαν, in qua scilicet qui plus possunt, minus potentes opprimunt. Hæc Montuus. Ex quibus, si authoritate opus sit, facile constat, quod non sine causa ad duo illa puncta curationis arthriticæ respexerimus, ac denominationem huius CIVITATIS *à tyrannide arthritica vindicatæ*, à rei natura desumpserimus: Quod verò arthritis sit ex genere fluxionis, quamplurimi authores vnanimiter attestantur; qui insuper ad quatuor aut tria membra, vel etiam duo, omnem fluxionis auersionem & curam reducunt.

Oligarchia corporis humani.

Sic *Reinerus Solenander* antedictus, consil. 1. section 5. *Hic morbus*, inquit, *in fluxione suam motionem habet: In omni autem fluxione licet multa consideranda veniunt, quatuor tamen potissimū obseruandi: 1. Quid fluat: non enim semper idē humor est. 2. Vnde fluat: nam*

non vbiq; idem fons mali. 3. Per quæ loca fluat: nam præcedentes & concomitantes affectus vias varias ostendunt. Et 4. In quæ loca fluat, quod variam articularis morbi speciem facit: Addi optima ratione potest, quid humorem ad fluxum impellat: nam & ista mouens causa pro diuersitate temporum pro corporis constitutione, proq; rebus incidentibus non semper eadem est, quandoq; qualitate, nonnunquam quantitate humoris proritante, vel grauante. Hanc ipsam sententiam *Iohan. Baptista Montanus* in suis consiliis, aliisq; operibus sæpissime inculcat, cæteriq; omnes Medici dogmatici. *Leonus, Tria,* inquit, *concurrunt, vt arthritis vel podagra fiat, membrum recipiens, origo fluxionis, & via, per quam fit fluxio: In membro* (recipiente) *necesse est imbecillitatem reperiri: alioquin nunquam fluxionem admitteret: Hæc imbecillitas contrahitur à parentibus podagricis, in quibus semen erat vitiatum: Deinde à nimio vsu balnei calefacientis & laxantis: Ab immodica exercitatione & labore, coitu,*

I.B Montanus.

Leonus.

lue

lue Venerea, & multo vini potu, ieiuno stomacho, &c. Nam vt Venus eneruat vires, sic copia vini. Hæc ille. Quæ causa est, cur Poetæ *Bacchi* & *Veneris* filiam Podagram finxerint; & à Poeta Medico dicatur: *Balnea, vina, Venus, corrumpunt corpora nostra,* &c. Sed iam dictus author causam fluxionis humorum ad articulos adhuc aliam, nempe naturalem, quàm cæteri, adducit, dum inquit: *Dicimus humores triplici modo arthritidem facturos ad iuncturas fluere: primo, ratione tenuitatis ipsorum: secundo, ob membri recipientis laxitatem & debilitatem: tertio, ob naturæ præceptum pituitam ad iuncturas mittentis, vt eas humectet: motus enim calore (ni hoc faciat) siccarentur: quare clarum est, hanc passionem ab omnibus humoribus fieri, à bile ob tenuitatem, à bile & pituita simul, ob membri recipientis laxitatem; a pituita, ob præceptum naturæ illi parti consulere valentis: raro fit a melancholia.* Ita *Crato* 242. consil. ad duas causas antecedentes reducit omnem à poda-

Noua causa, cur humores pituitosi ad articulos tendant.

Crato.

podagra præseruandi rationem; *Præseruatio*, inquit, *podagræ consistit in remotione causarum antecedentium, quarum principales duæ sunt: 1. Copia humorum excrementitiorum serosorum in capite, in sanguine; cum insigni acrimonia, ob salsam & biliosam materiam. 2. Imbecillitas neruorum & articulorum forte ob refrigerationem & alias causas procatarticas, quæ vltro contra naturam humorem affluentem recipiunt: His duabus concurrentibus causis facilime errore externo, frigore, ira, motionibus intempestiuis, crapula, præsertim vini ingluuie, irritatur malum. Imo pro natura fluxionum, absque his, Vere & Autumno, excrementitii humores fluidi, consueta sua, per consuetas vias & meatus, repetunt hospitia; articulos: Huc ardor, tumor, dolor, tensio, & lancinatio; denique subtilioribus discussis partibus, crassioribus relictis, nodi & tophi: His ita vires articulorum deiiciuntur, vt in posterum nunquam naturale possint acquirere robur: Imo via ita patula & trita humores excrementitii vix collecti*

collecti à leuißimo errore externo commoti; qua data porta, ruunt, iuncturasq́; subinde plures infarciunt, & distorquent. Hucuſque *Crato. Caſpar Hofmannus* conſ. 24. de podagra inquit: *Ea oritur ex fluxione, quæ duas præcipuas cauſas habet, nempe materiam fluxionis, & membrorum imbecillitatem.* Et *Solenand.* conſ. 1. ſect. 5. *In podagra, vt in omni alio articulari morbo, duæ ſunt obſeruandæ cauſæ, quibus poſitis, neceſſario inſequitur podagra, quibusq́; duabus, vel alterutra ſaltem, ſublatis, nullus effectus ſimilis ſubſequi poteſt: Cauſæ iſtæ ſunt, humores in corpore ſuperflui, & articulorum infirmitas: Vtraq́; poſita, neceſſario effectus iſte, quem hic articularem dolorem vocamus, ſubſequitur: Contraho hæc ad pauca capita, quo tu facile conſequi iſta & obſeruare poſſis, quo expeditius etiam remedium inuenias, adhibeasque inuentum.* Hæc *Solenander*, qui ante ad 4. vel 5. reſpexerat, hic ad duo ſaltem omnem curam intendit: Imò poſſet, ſi exactiſſima victus ratio

Hofmannus.

Solenand.

acce-

accederet, ad vnicum, hoc est, alterutrum, iam dictorum tota curatio redigi: Hinc *Auicenna* præclare inquit: *Si materia fuerit sublata, neque membrum mandans mandabit, neque recipiens recipiet*: Verùm cum quasi impossibile sit, hominem præsertim ad hunc affectum procliuem strictissima sex rerum non naturalium obseruatione contineri, nec vel minimum humanitatis, aut superflui, aut animi motionis pati, ad duo ante relata membra, tanquam summe necessaria, nos respicimus: Quod si quisquam rerum & præceptionum medicarum obseruantior extiterit, habebit in sequentibus quamplurima quasi supererogationis opera, quibus sese exerceat; Sed ad auctores redeo; inter quos *Brunnerus* non

Brunner.

contemnendus; qui consil. 72. *Arthritis*, inquit, *est morbus articulorum in mala compositione, & soluta vnitate, ortus ex humoribus a virtute expultrice ob copiam, vel qualitatem, vel quantitatem & copiam simul, irritata ad articu-*

los

los detrusis. Vnde manifestum est, arthritin esse ex genere fluxionum, in quibus consideranda veniunt, *1. Humor, qui fluit:* Circa hunc considerentur quatuor: Qualitas, causa, modus generationis, & motus. *Qualitas humoris*, qui expellitur, est vel excrementitius coctionis primæ & secundæ, vitiosus, ex cacochymia simplici, biliosa, melancholica, vel pituitosá; vel non simplici, sed ex his mista; Aut tertiæ coctionis, eiusdem differentiæ; aut humor non est excrementitius, vt sanguis peccans sola quantitate seu copia, stimulante naturam ad expulsionem ad articulos: *Causa humoris*, generans tales humores excrementitios, est facultas co-ctrix labefactata ob intemperiem vel viscerum, vt epatis, & ventriculi producẽtium cacochymiam perfectam à dispositione vel natiua, vel ascititia, orta vel à prima origine, vel ex errore externo, vt aere, cibo, potu, animi affectibus, Venere nimia, euacuatione intermissa: Aut ob intemperiem

1. Humor.

1. Qualitas humoris.

Causa.

partis alicuius excrementa multa producentis, & hinc cacochymiam eiusdem differentiæ. *Modus generationis humoris fluentis fit* 1. quando ventriculus & epar etiam optimum alimentum propter discrasiam non in sanguinem bonum, sed cacochymicum conuertunt. 2. quando in assumendis alimentis peccatur secundum quantitatem, qualitatem, ordinem, tempus, &c. 3. quando in aliqua parte imbecilla, puta, capite, nutrimentum siue bonum, siue cacochymicum, conuertitur non in alimentum, sed humorem excrementitium, ob intemperiem natiuam, vel ascitiam, calidam, attrahentem plus, quàm concoquere potest, vel corrumpentem adurendo in materiam excrementitiam; vel frigidam plus recipientem. *Motus humoris*: Mouetur autem à facultate expultrice irritata vel ob copiam sanguinis boni, vel ob qualitatem simpliciter ob cacochymiam, biliosam, melancholicam, pituitosam; vel non simpli-

Modus.

Motus:

simpliciter, sed mixtam ex diuersis humoribus, &c. 2. *Terminus, à quo fluit*, est vel totus habitus venarum, vel pars seu caput secundum partes exteriores: colligitur enim excrementum tale intra cutim, carnes & exteriorem superficiem cranii 3. *Terminus per quem fluit*, seu viæ, per quas fit materiæ expulsio, &c. 4. *Terminus, ad quem fluit*, sunt articuli, &c. de quibus in sequentibus vberius. Hæc ex *Brunnero*. Addemus hisce ex innumeris aliis vnum *Rondeletium*, qui de arthritide agens: *Dolores articulorum*, inquit, *fiunt à recrementis partium sensim defluxis: Qui à recrementis sensim collectis fit, magis per morbum Italicum, quàm alio modo fieri, experti sumus.* Articulorum dolor, qui per defluxionem fit, cum maiore tumore est: Altera, & maxime si à morbo Italico sit, fit sine tumore, sed cum dolore totius periostii: Dolor capitis vel præsens est, vel omoplatarum, vel sterni, etiamsi nulla exulceratio intra vel extra cutim excitata fuerit, quod

A quò.
Per quē.
Ad quē.
Rondeletius.

nonnullos decipit. Quæ fit per defluxionem, vel à parentibus, vel à victus ratione inordinata, & fere semper ob crapulam: A parentibus enim tantum accipitur dispositio, cui si non accedat mala victus ratio ad materiam multam producendam non fit: At frequens crapula cruditates multas & excrementorum redundantiam facit: Et per motus inordinatos statim à cibo in articulos decumbunt, vel attrahuntur: Demittuntur autem, cum facultas expultrix grauata vel qualitate vel quantitate irritatur: Tunc enim à partibus internis ad membra ignobiliora demittit per defluxionem: Est autem veluti fluuiorum inundatio extra alueum, cum ob frequentes pluuias non potest excipere copiam aquæ quæ inundat, & partes vicinas occupat; sic defluxiones fiunt, &c. Defluit aliquando materia ab vna parte aliquando ab alia, vt in alia recipiatur, & postea in aliam defluit per venas: Sed aliquando intra tunicas

endonum à capite per foramen nuhæ effluit pituita, quæ per coanam, el nares, vel per palatum expurgari ebuerat: Defluxionem talem præedit capitis grauitas, & ceruicis, aliuando frigus vel horrorem paruum acit: Cum incipit fluere illa pituitoa materia, etiamsi pituitosa appaeat, leuis tamen rubor in superficie pparet: Et huiusmodi materia in nembris laxis recipitur, & distenens dolores internos, sed non mulum vehementes, facit: Fit à venis agnis, & ab hepate, quando copia rauantur magnæ venæ, quæq; conınere non possunt, neque capere, ad artes externas mittũt, & per emunoria ad partes perueniunt, neq; dorem faciunt, neque in musculis ob orum laxitatem, sed in articulis, ob artis adstrictionem & constrictioem, retinentur, partes sensiles disndunt & ligamenta, vnde dolor xcitatur, &c. Sed hæc de fluxione, nquam causa antecedente arthriidis sufficiant; nunc quomodo pars,

Quomodo pars, à qua fit fluxio, corrigenda: Crato:

à qua fit fluxio, corrigenda ſit, adii-
ciemus: Pars autem illa inprimis ca-
put eſt, etſi quoq; alia membra & vi-
ſcera eandẽ mittant. *Crato* conſ. 245.
Etſi, inqt, *ab vniuerſo humoris ad mẽ-
bra infirma fluere poſſunt, tamen ple-
rumq; à capite ad ſubiectas partes fluunt.*
De hac *Cratonis* ſententia ſic *Mona-*

Monauius:

uius Epiſt. 245. *Seroſum*, inquit, *humo-
rem cauſam iſtius affectus facit Crato,
Fernelio plane adſtipulatur: ad quã ſen-
tentiam etiam accedit Iohannes Syluius
qui de hac re* (A 1583.) *peculiarem com-
mentariũ edidit, cuius inſcriptio eſt, D.
articularis morbi curatione tractatus 4.
Propoſitũ eius eſt, ad vſum practicum ac-
cõmodare ea, quæ in Theoria Fernelius d.
iſtis fluxionib. tradidit.* Eiuſdẽ Ferne-

Steeghius:

lianæ opinionis meminit *Stegius*, di-
inquit: *In arthritide, quæ ab humorũ in-
fluxu depẽdet, Fernelius ſolũ accuſat cru-
dum, tenuem humorẽ, pituitoſum, vel ſe-
roſum, à venis iugularib. ſub capitis cu-
tẽ, extra caluam depoſitũ, & per ſumm.
corporis ſub cute in articulos defluentem.
Eum generari æquum eſt in corporis pri-
ma regione, iecore & ventriculo, inde i.
vena*

venas assumi, e quarum osculis per totum corpus profundi potest, isq; solet mane multis sudore frequenti expurgari, & recentius parere arthritidem, vt cõpertum sit, sudorem matutinum ab arthritide optime præcaueri, ideoq; mirũ est, Fernelium suam istã a capite profusionẽ solam causam antecedentẽ ponere, atq; tã acriter conari defendere; valde frequentem eam fateor, & si de frigida solũ intellexisset arthritide, quemadmodũ innuere cõs. 12. pro Domina de Perat videtur, foret ratio verisimilior. Hæc Stegius. Duplex autẽ hic est Medicorũ differentia, cum alii catharticis deorsum materiã à parte mãdãte auerti & expurgari velint, alii potius vomitoriis sursum euacuantib. *Primæ notæ* sunt plæriq; & maior pars, quorum opinioni subscribimus, tũ cum vomitoria conueniẽtia nõ sint ad manũ, aut ipse patiens ab iis abhorreat, aut angustioris sit pectoris ad phthisin, anginam, oculorum suffusionẽ expositus; tum, cum illis cathartica magis probamus, quàm vomitoria etiam optima. *Secundæ notæ* sunt nonnulli, qui cæ-

teris paribus per vomitoria ſimul euacuationem & reuulſionem humoris ſenſim deſcendentis fieri debere exiſtiment: Priorum ipſa verba & remedia primò, deinde horum adducemus.

Pilulæ

Sunt, qui hic pilulas probatiſſimas præſcribant; ſunt, qui Electuaria, aut alias formas purgantium:

Hofmanni:

Hofmannus conſil. 244. *Quamprimum*, inquit, *in articulos fluxio deſcendit, pilulæ ſtatim ſumantur, vt præcidatur fluxui materia, & retrahatur fluxus à locis, ad quæ decumbit*: ℞. maſſ. pilul. de hiera cum agar. ſtomachicar. cochiarum, ana ℈.j. diagrid. gr. ij. cum ſyr. de ſtœchad. q. ſ. formentur pilulæ mediocres inſtar piſorum.

Nævii:

Næuius conſil. 225. *Noui*, inquit, *ſummum principem, qui his pilulis alternis diebus pro arcenda cachexia vtitur*: ℞. turbit, hermodactyl. an. ʒ. ß. cinnamom. galang. aniſi, ſerapin. an. gr. xv. zz. gran. x. ſacchar. crudi ʒ. ij. digrid. gr. v. pul. ſubigantur cum ſucco caulium, & formentur pro ℈j. pilul. vij. ſumat pro vice num. vij. hora ante mode-

moderatam cœnam vnius ferculi: quod si sequenti die non ter aluum subduxerit, augeat numerum pilularum, donec ter vel quater aluum subducant, & reuellant humores ad debiles partes fluentes. *Sunt & pilulæ Rhasis* probatissimæ, quas ipse commēdat podagricis eo encomio, *quod incedere non valentes faciant ire*: ℞. aloes epatic. ℥. ß. rosar. rubr. ℈. ij. hermodactyl. albor. à cortice externo mundator. ʒ. j. ß. diagrid. ʒ. j. fiat pasta cum aqua vitæ, & tantillo melle ros. Expastæ ʒ. j. formentur pilulæ deglutiendæ. *Crato* consil. 223. ℞. terebinth. Cypriæ ℥. ß. coq. in aqua maluæ, donec albescat, huic adde rhabarb ʒ. iij. pul. quæ arthetic. succini albi, an. ʒ. j. succi liquirit. ℈. j. misceantur, & inuoluantur pul. cinamom. & fiant pil. mediocres: De his pilulis vtatur aliquot diebus ad xv. duabus horis ante prandium: Post sumptas pilulas bibat serum caprinum, in quo decocta sit betonica, add. cochl. sacchari rosac. *Seileri*, ex consil.

Rhasis:

Cratonis:

Seileri:

consil. Solenandri 23. section 4. ℞. mass. pil artheticar. de hermodactyl. ana ℥. ß. cum aqua primula veris, f. pil. num xv. deaurentur, quibus assumptis, aquæ endiuiæ haustus sumatur. *Rondeletius: Semel in mense capiat* ℥. j. *pilularum sequentium, quæ impediunt multum humoris collectionem in corpore, ob quorum copiam & tenuitatem oritur hic morbus:* ℞. agarici ʒ. ij. rhabarb ʒ. j. ß. myrobal. chebul. cydonior. an ʒ ß mastich ℈. j. spicæ nardi & rad. pentaphyll. an ℈ j cum syr. ros laxat. f. pil. vj. pro ʒ. j, capiat longe à paroxysmo: Et si multum nõ mouerint ventrẽ, vtiles tamen erunt alia ratione: Frequentissime tamen illis vtatur. Eodem spectãt *pilulæ Hollerii*, stomachum non lædentes, si ad ʒ. j. vel ℈. iiij. sumãtur ad prçcautionẽ circa 4 anni tẽpora, vt monet Solenander: Tradit autem eas *Hollerius* lib. 1. cap. 63. de arthritide: ℞. agar. ʒ j. nucis mosc. zinz. an. ℈. ß. infundãtur in aqua mentæ, fiat leuis feruor supra cineres calidos: Materiæ expressæ add.

Rondeletii:

Hollerii:

add. rhabarb. opt. ℈. iiij. pul. hieræ diacolocynth. ʒ.j. ß. diacrid. ℈.ß. cũ suprascripta infusione ex aqua mētæ fiant pilulæ: dosis ʒ.j. vel ℈. iiij. *Soler ā-der*: Sequentibus bis in septimana, vt ab articulis ad intestina deriuetur materia, vtendũ: ℞. spec. hieræ simpl. cũ aloe ʒ. iij. agaric. recēs trochisc. ℈. ij spe. diamusci dulc. ʒ.j cũ vino albo vel melle rosſ. fiant pil ex qualibet ʒ. n. iij. Dosis pil. j. vesperi ante cœnam vel somnũ: Terebinthina Veneta lauatur aqua betonic. subigiturq; bene cũ saccharo & pul chamę; vt. fiantq; pil. quarũ j. aut ij. q. auellanæ subinde deglutiatur: His duobus aluus tutissime soluitur, caput roboratur, & nerui, primæ venæ & vrinarii meatus expurgãtur, nec ventriculo vllũ incommodum infertur. *De forma Electuarii* idē *Soleṅāder* cons. 25. sect. 4. *Ego Bayri excellētis Medici consilium lubēs secutus sum semper, & in ipso etiã paroxysmi principio purgans medicamentũ aliquod exhibeo, quod facultate sua aptum sit, si humorem iam fluxum omnem educere, saltem partem eius euocare, & qui*

Solenandri: Electuaria: Bayri:

influxu est, aut fluxurus imminet, deriuando reuellendoq; per loca conuenientia expurgare: quo deinde, quod in membro relictum est, à natura excoqui possit, atq; dissolui facilius. Idem factitantes exercitati plariq; Medici comperer unt ægris hanc medicationem bene cessisse, atque fuisse vtilem, &c.

Cautio: *Monendum tamen, extrema scilicet omnia munita esse debere, cum purgans assumendum est, ne motus medicamento humor, nec satis valide attractus, in partem infirmam, ad quam labitur, aut alios imbecillos & laxos articulos defluat: Quo modo sæpenumero cum hoc cautum non est, à purgante medicamento dolores exacerbari, aut plures, quam ante, articulos affligi videmus.* Exhibere autem tum licebit, vt idem

Bayri: monet, *Electuarium*, quod *Petrus Bayrus* Caryocostinum vocat, mirisque laudibus effert, &c. Dosis ʒ. iij. vel iiij. in bolo vel solutæ in mediocri vino subastringente. Eius alibi descriptio hæc traditur: ℞. hermodactyl. alborum mundator. à cortice, diagridii, ana ʒ. ij. costi, cymini, gingiberis,

ris, caryophillor. ana ʒ.j. terantur omnia, & cum ſyrup. facto è melle & optimo vino f. elect. Hoc ſoluit aluum, & materias, quæ dolores creãt, educet. *Morſelli Seileri* in conſil. 23. ſect. 4. Solenand. ℞. medullæ carthami ℥.j. penidiar. minutiſſ. inciſar. dactylor. coctor. & per ſetaceum tranſmiſſor. an. ℥. ij. ſacch. candid. ℥.ß. zinz. ſem fœnicul. aniſi, ana ℈. ij. hermodactyl. ʒ.j.ß. ſpec. diatragacanth. frig. ℥.j. turpethi ʒ.ij. diagridii ℈.ij.ß ſacchari in aqua primulæ veris diſſolut. ℔.ß. miſc. f. confect. in morſellis: De quibus ſumat pondere 5. florenor. tribus horis ante prandium. Quæ præterea materiam arthritidis antecedentem & fluentem educant per aluum, notiora ſunt, quàm quod hic recenſeri debeant; Iam dicta, quia ſint vſu probatiſſima, referre non piguit. *Nunc* aliorum opinionem, qui vomitionem inprimis inculcant, contemplabimur. *Montuus*: *In prædicta*, inquit, *arthritide fluxio per ea auertitur, quæ mate-*

Morſelli: Seileri.

Qui vomitionem probent: Montuus:

materiam diminuūt, siue per vomitum, siue per deiectionem, &c. *Rondeletius: Nam sola vomitio hos duos morbos (articularem & nephriticum) maxime præcauet, si facile vomat, sin minus, post longam commessationem à prandio.* Capiuaccius consl. 232. *Si facile vomat, laudo, vt saltem semel in mense euomat à prandio, &c. si ieiunus vomere posset, melius esset: Nam in arthritide multa melior euacuatio, & diuersio, quam ea, quæ per vomitum fit: Eo tempore, quo vult vomere, (quia vomitus nocet oculis,) vt eos etiam tueamur ab hoc incommodo, bonum erit, vt liget oculos aliqua fascia, nec statim à vomitu soluat eam, sed sinat ad octauam horæ partem, vel circiter.* Crato consil. 246. *Vomitu ad præcautionem in morbis articularibus nihil conducibilius.* Seilerus consl. 243. *Commendatur vomitus singulis mensib. instar auxilij nō postremi.* Iterum *Rondeletius: Sed approbarem frequētem vomitionē à cibo & corporis quietem.* Verū cum ipsa ratio & contrariorum indicatio vomitionem commendet, non opus

Rondeletius:

Capiuaccius:

Cautio:

Crato:

Seilerus:

Rondeletius.

opus erit in meridiana veritatis lucē aliorum autorum plures faces incendere, seu testimonia producere: In hoc autē à iam dictis nōnihil dissentire videmur, quod à cibo vomitionē imperent, stomacho nimirum cibis repleto, & ægro ad eam dispositо, quia ieiuno ventre vix vomere liceat; nos verò econtra maxime in aurora & ieiunis hanc imperemus: Causa diuersitatis in eo est, quod communia vomitoria vel ventriculum languidum reddant tepore aut humiditate nauseam inducente, nec quicquam attrahant electiue, nisi forte acri commotione omnium viscerum; Nostrum vero vomitorium contrà agat magnetica quadam attrahendi virtute ex imis venulis humores pituitosos seu serosos primò, deinde biliosos, deniq; melancholicos sursum alliciendo, & educendo, quod ieiuno stomacho melius & felicius contingit, quàm cibis repleto; imò cibis onerato sæpe cessat hæc operatio, calore alteri operationi

Dissensio in quo.

tioni

tioni intento, quemadmodum &, si superdormiatur: Ad hæc, eiusmodi vomitio non molestat stomachum qualitate nauseabili, nec acri irritat, vt Elleborus, & huic similia, sed humores à medicamento attracti stimulāt stomachum ad expulsionem, adiuuante eam humiditate laxatiua Mercuriali: Vnde quod in assumptione frequenti catharticorum verendum est, ne sua maligna qualitate plus noxæ visceribus imprimant, & relinquant, quam in expurgando humores vtilitatis præstent, hic locum non inuenit. De iis *Crato* consil.

Crato.

222. *Ad humores adustos*, inquit, *syrupus de pomis cum sena præscriptus est, qui & aluum lenit, neque vehementer præcipitat humores, qualia in fluxionibus necessario sunt adhibenda: Nam plærunque etiam ad locum affectum demittunt materias, & chronicon malum efficiunt: Quæ vero vehementer purgant, etsi videantur prodesse, maximopere tamen affiiciunt corpora, cum humidum radicale & calorem naturalem affligant,*

Nota.

ligant, & membra ipsa coctionis valde debilitent, vt paulo post non minus excrementorum intus colligatur, quàm purgatione ademptum sit: Quapropter & à medicamentis talibus & Medicis indoctis cauendum est. Idem cons. 247. eadem cautè admonet, dum inquit: *Singulis annis bis certis temporibus à Medico præsente expurgentur, qui medicamenta vsurpet, neq; calorem, neque ventriculum labefactantia, & qui facile possunt vomere, ij id singulis mensibus faciant, sin minus, lene phlegmagogon ligant.* Ad id prodest Mechoaca pul. ita vt ad ℥. j. pul. ℥. iij. sacchari add. misc. cum aqua rof. & f. massa, vt panis Marzius, de quo ℥. ij. ante cibum sumat, si satis non purgat, dosis augeatur. Cum caput est pars mittens, vniuersali purgatione præmissa, quotidie, vel alternis diebus, caput sequenti Errhino à superfluis humoribus expurgetur: ℞. elaterii ʒ. j. aquæ maioranæ ℥. iiij. misc. Vel hoc: ℞. aquæ sambuci, maioranæ, betonic. ana ℥. j. ß. sem. nigell. subtil.

Caput pars mittens.

Errhinon.

pul. ℈. ß. bull. parum; post add. succi betæ depurati ℥. ß. sacchari albi ʒ. ij misc. pro errhinno. Commendatur quoque à plurimis eam ob causam capitis lotio: *Crato* hac in parte cum *Fernelio* consentit; qui cons. 215. *Caput*, inquit, *abluendum curabit singulis septimanis bis ante cœnam, nec postea se aeri exponat: In lixiuio decoquatur polytrichum, & vtatur sapone moscato sic facto:* ℞. saponis Veneti lib. j. santali citrini, rad. ireos an. ʒ. j. ß. caryophill. ʒ. j. ambræ gryſ ℈. ß. mosci gr. v. misc. f. globus. Eadem fere habet cons. 228. sed cons. 216. vult lixiuium fieri ex cinere sarmentorum vitium, in quo decoq. rosæ, beton. stœchas Arab. & agaricus albus: vsurpetur cum iam dicto sapone. Idem consil. 253. præterea vtitur cerato: Cum materia, inquit, plærumque à capite defluat, plurimum adiumēti quibusdam lotiones capitis attulisse cōstat, præsertim si hoc *ceratum*, quod ex cera & ladano asperso succino albo atq; ambra fit, rosis etiam & santalis, cum

Capitis lotio.
Crato:
Ceratum:

caput

caput eſt calidius, geſtetur: Poſt capitis lotionem aeri ſe non exponat, ſed intra conclaue contineatur. At cum non ſemper ex capite, ſed interdum ex plenitudine ſanguinis, interdum ex cacochymia totius corporis, venarum & viſcerum, trãſmittatur materia arthritidem generans, iis quoq;, tanquam mandãtibus partibus, proſpiciendum videtur. Hofmannus conſ. 241. *Membris mãdantib.* inquit, (*quæ fluxionum fontes ſunt*) *non melius conſuli poteſt, quam euacuatione, quæ ſane fit per venæ ſectionem, in quib. ſanguis abundat, & hepate ſunt calidiore*, &c. *aliis vtilior eſt purgatio.* Hęc ille. Hinc venæ ſectio vere & autumno conuenit; nõnunquam cucurbitulæ vltima Lunæ quadra dorſo applicandæ: Ad mitigationẽ quoq; calidorũ humorum, qui pituitam ad articulos deuehunt, & dolores cõcitant, *Crato* conſ. 222. huiuſmodi potionẽ concinnat: ℞. aquę borrag. ℔. ß. margar. prępar. ʒ j. papau. albi ʒ. j. ß. fiat emulſio, cui margaritis adiũctis in ſubſtãtia add.

Membra mandantia alia.

Hofman.

Venæ ſectio.

Crato.

G 2 ſyrup.

ſyrup. de papau. viol. an. ℥. j. miſc. Quæ aliàs in hoc caſu ad intemperiem epatis calidam vel frigidam, imbecillitatem ſtomachi, renes (quia vtplurimum arthritici ſunt, & nephritici, aut calculoſi,) & principes partes corroborandas præſcribi poſſint, & debeant, volentes hic relinquimus, & Medici circumſpectioni, qui indicationibus à cauſis & ſymptomatibus ſumptis, ſuis conuenientibus ſatisfaciet medicamentis, prout indiuiduum morbi & ægroti requirit, committimus.

CAP. VI.

De parte, in quam fit fluxio, roboranda.

QVEMADMODVM fluuii à montibus & altioribus terræ partibus curſum ſuum in loca humiliora & plana continuant eo vſque, donec in mare, omnium fluminum & aquarum receptaculum commu-

ne,

ne, deueniant, ita quoq; in homine, veluti paruo mundo, humores abundantiores à partibus superioribus in inferiores, naturæ instinctu, prolabuntur, & decumbunt: Est autem varia, non vna saltem causa, cur hic motus humorum in artus seu extrema potius fiat, quàm in alia membra, aut viscera: *Cur fluxio in artus.* Primò enim decliui- 1.
tas extremorum, ad quæ grauia, velut ad centrum suum properantia, contendunt. Secundò, quia hæc à 2.
loco caloris naturalis, corde, sint remotiora, quàm alia, ideoq; extrema appellata: Vnde pauperie caloris eiusdem laborantia à ditioribus supprimuntur, quemadmodum in Republica Oligarchica contingit. Ter- 3.
tiò quia artus pituita, vt prædictum ex *Leono*, naturaliter nutriuntur, vnde eius humoris ad illos quasi naturalis decubitus facile in præternaturalem, si nimius sit, conuertitur.
Quartò, iniuriis aëris, & læsioni cui- 4.
cunque manus & pedes magis sunt expositi, quàm viscera: Vnde cùm

eò, vbi dolor eſt, concurrant humo-
res, & tumor fiat, vulnus, vlcus, vel ci-
catrix, & natura à conſuetudine faci-
le ducatur, non mirum eſt, ſi ibidem
coaceruentur iterum humores &
5. dolores; quos Quintò exaſperat ſen-
ſus iis partibus exquiſitiſſimus, vt po-
te neruis & tendonibus, tactus pro-
priis organis, in loci anguſtia redun-
dantibus & ſtipatis: Hinc quod qui-
Cautio ſuperflua. dam ex Medicis monet, arthritico,
aut podagrico, ſi curationis ſui cauſa
ſeſe torturæ ſubiicere velit carnificis,
eum nõ operæ pretium facturũ, non
ſolum verũ eſt, ſed quoq; quia vt du-
biũ in quæſtionẽ veniat, nonnihil fa-
tuitatis quærẽti impingit: Cur enim
eiuſmodi problemata corollarii vice
producantur, non video, niſi forte ad
vulgũ facta ſit locutio, qui exiſtimet,
arthriticũ contractum dici, & ꝙ con-
tractũ eſt, per torturam eum neruo
carnificinæ iterũ expandi, & ad ſani-
tatẽ reduci poſſe: Sed hæc friuola eſt
opinio magis ridenda & explodẽda,
quàm refutãda in theſibus: An verò
putan-

putandum, dolorem dolore curari, vt calor à calore attrahitur, vel frigus frigore, veluti hiſce oris magis nominatus, quàm promotus, Medicus cuidam Archiatro nobis noto podagrico, tanquam malo nodo, malum cuneum, nempe violentam attrectationem, nihil curans ſuſpiria & gemitus vociferationesq; ipſius, pro remedio adhibuit: Sed conſiderãdum eſt, ex eiuſmodi præpoſtera curatione, malum hoc prorſus incurabile, & patientem ad internecionem reduci poſſe, cũ dolor attrahat, vt cucurbitula, humores, & inflammationẽ ac dolorem non ſolum nõ tollat, ſed adaugeat: Si hoc ſit medicari, per maiorem dolorem minorem tollere, tum nephritis non ſine cauſa poteſt podagricorũ medicatrix dici, quia renum dolor, communi prouerbio, fertur *docere ambulationes patiẽtem*, nõ quaſi tollat eum, ſed obſcuret, & ita ad motũ propellat: Cum itaq; partes extremæ adeo ſenſu tactus exquiſito, ſint terminus, ad quẽ fluxio fiat, hinc ab *Nephritis obſcurat dolorem podagræ.*

 omni

omni dolore prius vindicandæ, deinde corroborandæ ſunt, ne ſcilicet ita facile iniuriis ſuperiorum membrorum pateant: Corroboratio autem illa fit modice calidis & adſtringentibus, quæ extus adhibentur: Antequam verò eorum ſit vſus, hæc duo abeſſe debent, nempe dolor, & tumor, ſeu tophi: Illis enim præſentibus, aſtringentia non ſolum parum iuuant, ſed quoq; nocent, dolorem & tumorem augendo: Vnde illud tempus, quo æger ab hiſce duobus maxime liber eſt, ad curationem eligendum erit: quod ſi vero hæc vrgeant, ad ſymptomatis mitigationẽ, & paroxyſmi arthritici ſedationem, quæ cap. 9. tradetur, prius accedendum erit: Quemadmodum enim, cum fluminum violentus adeſt fluxus vel extra ripas conſuetas inundatio, ita vt in arua & prata effuſa ſint, ii, qui illis finitimi, tum aquas à ſuis fundis prohibere non poſſunt, ſed tum, cum adhuc intra ſuas ripas & metas continentur, vallum maxime

Corroboratio quibus fiat.

Quando.

munire ſolent, ſic conuenit cum podagricis quoque agere, vt eos, cum iam doloris violentia adeſt, vix attingamus, niſi ſumma neceſſitas vrgeat & inuitet nos, ſed tum, cum maxime ab incurſionibus liberi ſunt: Quomodo enim vallum iam ſub aquis & diluuio tectũ reſarciri poteſt? Quomodo arthriticus iam arthritide præoccupatus? Eadem vtrobique ratio, eadem facultas eſt: Qui mari vel Oceano ſunt vicini, eurypos fluuiorum regurgitantium obſeruant, qui, dum relinquunt littora, tum accurrunt accolæ & collecta manu & opera redeunti aquarum impetui & gurgiti reſiſtunt: Idem tentandum in hoc caſu, ſi modo æger ſolatio veræ curationis & Medicus labore ac fama ſimul fruſtrari aut ſpoliari non velit: Cum itaque malum non exaſperatum eſt, ſed dolor omnino conquieuit vnà cum tumore, accurramus & nos ad partem affectam, hoc eſt, manus & pedes, tanquam extremas hominis patientis ripas &

oras, easq; reficiamus, & corroboremus adstringentibus: Cuiusmodi vulgare quidem, & non pretiosum valde remedium in cap. 4 præmisimus, nõ quasi alia magis operosa hic nõ conueniant, aut vsurpari debeât, sed vt omnibus ex æquo patientibus satisfaciat, quodq́; omni fere tempore & loco, etiam absq; præsentia Medici aut pharmacopœi, præparari & haberi possit: Nunc hoc capite alia quoque eiusdem intentionis ex aliis authoribus producemus, vt ex his delectus, cui antedictum non arrideat, fieri possit: Quod autem eiusmodi corroboratio sit necessaria, iam ante cap. 5. copiose audiuimus; cum alii Medicorum ad duo, alii ad tria, quidam ad quatuor puncta fluxionis affectum reducẽtes, nunquã tamen partis affectæ corroborationẽ omiserint. *Hofmannus* consſ. 241. *Tandem,* inquit, *reliqua articulorũ & neruorum membrorumq́; recipientium confortatio fieri potest per vnguenta ex lumbricis & rad. ebuli parata: Familiare istud est, vt*

Corroboratio necessaria.

Hofman.

acci-

accipiantur ſalis torrefacti, & in mortario contuſi cochl. ij. & affundantur olei opt. ℥. v. & bene miſc. Hoc vnguntur & confortantur articuli. *Crato* conſ. 240. *Ad roboranda membra therma quidem & alia topica celebrãtur, ſed mea ſententia nihil conuenientius, quam in Octobri fomentum factum ex vinaceis*, ex quibus tẽpore vindemiarum paulo ante vinũ expreſſum eſt, idq; faciẽdum toto illo tempore vindemiarum, verùm purgato iam corpore. *Idem* conſ. 228. *Pedes non lauet*, ſed ex decocto origani & agrimoniæ in vino adiecto ſale cum ſpongia vel linteo mundet, idq; ſæpe faciat. *Solenander* conſ. 19. ſect. 1. *Nolo tibi hoc ignotũ, me hic feliciter vti ſolo & ſimplice diachalcitide, cuius facultates* videre potes apud Galen. lib. 1. de compoſ. medic. hoc illitũ ſuper alutã applico iuncturis, quæ pati ſolent, atq; iubeo, vt continuo applicitũ circumferant, ſub noctẽ auferentes, ſi lubet, & exſiccantes, manè reponant: Teſtorq; hic, *Genuenſes* eſſe ꝑdiuites mercatores,

Crato:

Solenander:

Diachalcitidis ampl.

res, quibus aliàs cum ſoleat eſſe res cum podagra, iam ſe huius vſu integrum quinquennium liberos reddiderunt. *Idem* conſil.20 ſect.1. *Artus firmabuntur, ſi in eis naturalis calor excitus non diſſoluatur*; ſi influxus humor (ſi quis forte in illis adhuc latet) educatur: deinde intemperies inducta tollatur, & laxitas meatuum in illis condenſetur, eisq; robur addatur: Quæ omnia ſane fient temperato & mediocri exercitio ſemper ante cibum adhibito, corpore haud pleno, idq; in loco ſicciori, ſiue illud fiat in equo, ſeu pedibus obeatur: Aduigilandum, ne vel pedes, vel cæteri artus vllo frigore premantur, aut ſitu & humore madeſcant: Abſtergendi tàm veſperi, quàm manè, ſicciore linteo, vel ſpongia; lauandi etiam ſingulis ſaltem 14. diebus aqua chalybeata ſalſa, incoctis roſis, ſaluia, iua, verbaſco, arthemiſia, vel id genus ſimilibus: Poſt ablutionem perungendi oleo roſ. omphacino, ſi haberi poteſt, intrito ſale. *Idem: Præterea velim*

lim eodem oleo (omphacino) cum largo ſale ſoluto iuncturas firmari, quod etiam per morbi interualla ſubinde faciendum: hæc agēda ſunt, donec videatur non amplius tumor partis augeri. *Donzellinus* conſil. 229. *Ad roborandos vero pedes & manus*, ne nouam materiam admittant, vtatur balneo aquæ ferratæ, in qua decoct. ſit hypericon, ſaluia, roſæ, vrtica, guaiacum: Paretur etiam calceus totum tegens pedem, ex aluta, quæ intus ſit illita cerato Diachalcitidis, more Galeni parato, ac perpetuò geſtetur illud, ſæpe renouando. *Scilerus* conſil. 23. *Solenand.* conſ. ſect. 4. *Pedes lotionibus reddentur firmiores*, ne materiam collectam recipiant: Sumatur abſynth. chamomæl. & plantag. & incoquantur in aqua chalybeata: Eſt & ex vſu lauacrum ex aceto, aqua, & furfuribus confectum. *Idem* in volum. conſil. med. conſil. 244. *Ad corroborationem articulorum lotiones pedum ſingulis ſeptimanis bis vel ter adhibitæ multum faciunt*: Sumatur

Donzellinus.

Calceus cum Diachalcit. cerato.

Scilerus.

matur

matur lixiuium, in quo chalybs extinct⁹ sit, add. flor. chamomæl. herb. paralys. absynth. arthemis. pedis columbini, & vna atq; altera ebullitione facta, add. parum salis & aluminis. *Idem*: Vt pars affecta & dolens corroboretur, dolore cessante: ℞. succi rad. ebuli ℔. ß. succi rutæ ℥. iiij. lumbricorum terræ vino albo ablutorum, ℥. v. ol. rosat. chamomæl. an. ℥. j. ß. incidãtur lumbrici in patell. add. succi & olea, coq. colat. expr. add. ceræ, terebinth. an. ʒ. j. ß. misc. f. vnguent. *Rondeletius*: ℞. cineris cruris equi, vel cerui, vel asini, ℔. j. aquæ fabrorũ lib. iiij. fiat lixiuium; abluat pedes & manus bis in hebdomada: Firmat pedes, & absumit excrementa, & vt fortius faciat, add. salis communis gr. j. vel in lixiuio communi ℔. ß. salis: paretur ex cineribus quercus vel hermodactylor. *Crato* cons. 222. *Pedes*, inquit, *muniat pellibus leporum, & plantis pedum arthemisiam ac absynthium supponat*. Cons. 242. ℞. salis bene tosti cochl. ij. contund. in mortario opt.

Rondeletius.

Crato.

&

& affund. ol. communis ℥.v. commisc. optime; & seruentur ad illinitionem: Benefacit & pellis canina, inuncta oleo costino: interdum & pedes lauentur decoct. origani, arthemis. absynth. chamomæl. rosar. &c. Cons. 248. *Nihil vtilius ad corroborandos* articulos fomento ex origano, arthemisia, & absynthio, cum paucis rosis in vino coctis, & adhibito decocto pedibus per vaporem tantum. Cons. 247. *Quod vero ad roborationem attinet* partium & sublationẽ materiæ peccantis in articulis, sunt thermæ, in quibus est vena cuptea, valde conuenientes, sed nõ possunt plus iuuare, quàm calor sinit insitus. *Idem: Bonum erit*, pro iuncturis roborãdis, quę dolore affici cõsueuere, eas inungere oleo salito calidiusculo eo tẽpore, quo lectum ingredi volet: ℞. ol. oliuar. omphacin. ℔.j. salis ℥.ij. bull. in duplici vase ad consumt. quartæ partis. *Idẽ: Articuli roborãdi* & exiccãdi vinaceis, oleo salito. Cõs. 246. *Ad corroborationẽ qdã vtũtur* medul-

Thermæ.

medulla bouina & ceruina cum salē subacta ad formam linimenti, & eâ confricant articulos fluxioni obnoxios: Conuenientius est, si oleo communi admisceatur axungia suis castrati: Fomenta etiam exiccantia ex lixiuio cum sale parari possunt. Consil. 223. *Certum est, thermas*, præsertim quæ cupream mineram habent, quales sunt Landecenses, calorem innatum & articulos roborare. Idem consil. 242. Nec thermæ omittendæ: In eo itaque conueniunt authores, pro corroboratione pedum & manuum thermas maxime conferre, quemadmodum præter iam dicta plura testimonia authorum classicorum adduci possent. *Hofmannus* consil. 241. Si ad thermas proficiscendi daretur occasio, egregiam opem viis & membris recipientibus allaturæ essent, resoluendo, quod in fluxu erat, & adstrictione firmitudinem membris conciliando. Eadem *Crato* consil. 221. repetit: Thermæ Landecenses, si tempestiue à moderatis homini-

Hofman.

Crato:

minibus (quis enim immoderatos & intemperantes curet?) adhibeantur, plurimum momenti in cura podagræ, modò morbus sit curabilis, adferunt. Et *Solenander* consil. 25. sect. 4. fere omnes Germaniæ propinquiores thermas ad hanc rem vtiles recenset, dum inquit: *Quæris, quid thermæ ad eam rem præstent, & quales optimæ?* Quid item harum defectu balnea factitia ex alumine, sale, & sulphure possint? Thermarum vsus vix tutus est in ipsa paroxysmi exacerbatione, neque in ipsius initio aut augmento conuenit: In declinatione autem vtiles esse possunt, &c. Extra paroxysmos purgatis corporibus, & mandante membro depleto, cum magna ad præseruandum vtilitate, adhibere licet, si dexter earum vsus accedat. Conueniunt autem istæ, quæ vires suas ex alumine, sale, sulphure, chalcantho, nitro, habent: Istius generis sunt Aquisgranenses, & inter istas maxime, quæ in ipsa vrbe Regiæ dicuntur, imbutæ sulphu-

Solenand.

Thermæ quando vtiles:

Aquisgranenses:

Embſenſes: re, ſale, & alumine: Embſenſes ad flumen Lanum, quæ conſtant ſulphure, alumine, chalcantho, & modico nitro. Elegantius iuuant *Martiatæ:* Martiatæ olim dictæ, nunc Wisbaden, nõ procul à Moguntia, ſulphure, alumine, & modico nitro infectæ: *Caroli 4.* Thermæ Caroli IV. in Bohemia, ſulphuris & aluminis vires referentes: *Badenſ. Auſt.* Badenſes in Auſtria, quæ multum habere dicuntur ſulphuris, minus nitri, & minimum aluminis: *Baden.* Badenſes ad oppidum Baden, inter Rhenum & Herciniam ſyluam, quæ ſale copioſo, alumine & ſulphure modico ſunt infectæ. Defectu horum idem tradit *Aqua Guainerii.* conuenire aquam *Guainerij*, quæ eſt aluminoſa, ſale, ſulphureq; modico iniecto: nec non lotio pedum Andernaci: Balneum ex decoct. ligni iuniperi in frigido & humido affectu: Oleum maſtichinum ſale intrito neruoſis partibus conuenit. Oleum roſac. quietis tempore extra paroxyſmum affricari ſolet, intrito ſale: valentius eſt, ſi ex omphacino

fiat;

iat; infricturq; ſal & luteus puluis ex
oſis, antheram vocant: Defenſiuo
utem ex bolo & poſca vtendum;
um balneis & purgationibus vti-
nur. *Thermæ* enim, vt *Crato* Epiſtol. *Crato.*
51. aſſerit, *calorem natiuum adiuuant,*
erum ſui humiditate membra rela-
ant: Hinc alibi, *Pedes*, inquit, *neque* *Cautio.*
lui ſuadeo. Pro corroboratione &
efenſiuo manuum & pedum quoq;
ſurpari poteſt *lutum thermarum cali-*
rum, alumen, ferrum, ferruginem,
uprum, vel alia adſtringentia cum
lphure habentium, quibus dige-
ntur, & tanquam exſorbeantur,
uæ intimis locis laxioribus ſunt col-
cta, ſimulque roborantur: Pedes
uoq; mundare cum ſpongia intin-
a in vino rubro ſtyptico, in quo ſal
decoctum, vtile eſt. *Caligis* etiam *Caligæ*
neis in vino cum ſale madefactis & *lineæ.*
ccatis vti, ſed aquæ imponere ne-
quaquam conueniens: Alias lo-
tiones & balnea omnino
viter.

CAP. VII.

De viis, per quas fit fluxio, intercipiendis.

POSSET quis iam ex variis authoribus in duobus proximis capitibus relatis remediis, quæ parallela & correſpondentia ſunt noſtris duobus ſimplicibus auxiliis, in 4. capit. adductis, contentus eſſe, & omnem Podagræ curam abſoluere: verùm vt hac parte quoque authorum curioſitati ſatisfaciamus, non nulla ex iiſdem, quæ vias & meatus fluxionis futuræ intercipiant, hoc capite adducturus ſum: Cum enim omnis motus localis initium, à quo, finem, ad quem, & medium, per quod mobile moueatur, requirat, & hactenus de primis duobus actum ſit, nūc conſequens videtur de medio con ſtringendo, & viis fluxionis intercipiendis tradere: Viæ autem illæ ſunt partim extra venas & viſcera ſub cute, partim intra: Corpus enim hu-

Viæ quæ fluxionis.

manum

manum totum perſpirabile eſt, & meatus ſat habet conſpicuos, per quos tenuis humor tranſire poteſt: Nam demus, quod ſecundum Fernelii opinionem, humor ſeroſus & pituitoſus, qualis in ventriculo, ore, & capite, indies ex coctione prima colligitur, coaceruetur, vel ex vaporibus in caput aſcendentibus condenſetur, qui, deficiente motu corporis, & exercitio, aëreq; frigidiori & humidiori poros cutis obſtruente, intra pericranium & cranium contineatur, atque hinc quocunque impulſu intra cutim per collum deſcendat in ſcapulas, non copioſe, ſed guttatim, hinc per dorſum lento motu ad lumbos, crura, & pedes, vel per brachia ad manus & digitos perueniat; non aliter, quàm animal illud Indiæ, Pigritia dictum, quod arborem aſcendit aliquot dierum ſpatio, adeo lento motu ſeſe agitans, vt ab aſtantibus vix animaduerti poſſit: vnde contingit, quod vix ſentiatur illa guttarum deſtillatio, quæ in hu-

mano corpore vernali vel autumnali tempore vtplurimum increſcit: Iis enim anni mutationibus, cum iam fluuii aquis & riuis ex quibuſcunque decliuioribus locis decurrentibus redundant, cum pluuiæ frequentiores & imbres ſentiuntur, idem fere in corpore humano contingit, quod in magno mundo, vt nimirum liquores ad centrum terræ tendant: vnde catarrhi & diſtillationes ex capite in inferiora membra tum ſunt frequentiores: Hoc enim fit ex eo, quod corpus humanum ſit omni ex parte tranſpirabile, & facile ab aere ambiente alteretur: Qualis enim aer circumſtans, ita & cutis, caro, nerui, humores, & ſpiritus animaduertuntur: Aere pluuio non ſolum ignis elementalis debilitatur, & fere extinguitur, ſed quoque calor in homine, nec non ſpiritus vitales & animales; vnde & animorum motus mutantur vel ad triſtitiam, vel ſomnolentiam: Corpore itaque perſpirabili exiſtente, humores facile admit-

Pluuia in corpore humano lenta.

admittuntur in membra inferiora: Semel enim ab alto demiſſi non poſſunt verſus ſuperiora regurgitare, ſed ſemper ad inferiora labaſcunt: Hinc de podagra, & inde facto tumore, verſiculus ille recte vſurpari poteſt:

Gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo;

Quod ſi lapidem, multo citius muſculos corporis, qui ſecundum longitudinem ab invicem ſeparati ſunt, & facile quoſcunque humores etiam in magna copia admittunt: Videmus enim quotidie, quid aſſiduitas præſtet, quod etiam formicæ, exigua animalcula, ſibi callẽ eundo redeundoq; faciant: Ita & ſi gutta humoris ſæpiſſime deſcendat, ſucceſſu temporis, totum corpus intra cutim & muſculos peruium reddit, ac viam amplam fluxioni relinquit: Hinc in arthriticis inueteratis ſubtus cute frequentiſſimi & ampli hiatus inueniuntur, per quos nouus humor lapſurus facile deſcendat ſecundum naturæ conſuetudinem, quæ etiam

in præternaturalibus mori prauo ſuccumbit, quemadmodum vulgus prauas conſuetudines mordicus pro lege tenet & obſeruat in ciuitate: Verùm vt ex malis moribus bonæ leges exortæ dicuntur, ſic hæc præternaturalis corporis conſtitutio & motus naturæ deuiatio optima remedia ſuppeditauit, nempe per rationem indicationis, cauſæ morboq; contrariam: Nam laxitas illa meatuum vel viarum ſub cute conſtrictionem earundem indicat, nimia humiditas, exiccationem, raritas condenſationem: Remedia hic conuenientia, ab aliis authoribus, vt antehac, mutuabimur; inter quos *Montuus* nobis primò occurrit; Qui *Inter membrum mandans, & partem affectam*, inquit, *agglutinatoria opifera ſunt, ex bolo armeno, terra ſigill. cum* ol.roſ. & aceto, vel cum liquore oui conleuato, deinde affuſo ſucco omphacis vel plantag. Huiuſmodi præſidia influxum arcent; quia infrænant, incraſſant, oppilant, roburque

Indicationes.

Remedia:

Montuus:

partium

partium confirmant: Ad idem illitio fit ex acacia, hypocyſtide, lycio, & mentha: Intercipitur etiam fluxio per ſicyas. Hæc *Montuus*. *Hofmannus* conſ. 244. *Et ſic cum materia imminuta eſt, viæ fluxui intercipiendæ ſunt, ne tanto impetu decumbat:* Sumat abſynthium, & prunis iniiciat, (ſed extra conclaue, in quo eſt, nam aliàs dolorem capitis gignit,) vt fumum de ſe præbeat: Et iniiciatur linteum triplicatum aut quadruplicatum, & cum vaporem eum linteum imbuit, & incaluit, impone calidè in ceruicem, & ſi frigidum factum fuerit, rurſus calefacito: Ita retinetur afflu-xus, & impetus infringitur. Inſpergendus capiti puluis: ℞. roſar. rubr. corall. myrtill. ana ℥. j. ſuccini albi ℥. ß. ambræ gr. iij miſc. f. puluis, quem *Crato* conſ. 245. commendat. Idem conſ. 216. Nocte hunc puluerem ſuturæ coronali ſuperinſpergat: ℞. roſar. rubear. myrtillor. corall. præpar. an. ℥. j. maſtich. ℈. ß. miſc. f. pul. Hoc remedio mirifice iuuantur, quibus

Hofmannus.

Crato.

fluxiones ad partes inferiores decumbunt, & caput debile est. *Solenander* consil 19. sect. 1. Consulo etiam, vt viæ, per quas humor illabitur, astringantur, nimirum, si in pedibus dolor est, obuoluatur crus aliquo adstringente medicamento qualicunque: E. g. fascia madefacta in posca, quæ malicorium incoxerit, vel gallas, alumenve dissoluerit; vel illita vnguine ex ros vel myrtino oleo, admixto aceto, albumine oui, & puluere aliquo adstringente: Hoc quanti momenti sit in omnibus defluxibus, si sint in principio, vix credi potest: Quare miror hoc tempore fere à plærisque Medicis omitti: in principio etiam munita hoc modo via, per quam labitur, exhibere soleo magno successu aliquod purgans medicamentum pro ratione humoris, doctus primum ab Alexandro Tralliano lib. 11. Idem cons. 20. sect. 1. *Præterea intercipiendæ* viæ, per quas humor illabitur; in quem vsum vtrique cruri obuoluendæ fasciæ oblongæ

Solenand.

made-

madefactæ in posca chalybeata, quæ incoxit rosas, cortices granator. & parum albuminis dissoluit: quod etiam fieri velim & toties, quoties medicamentum aliquod purgans per os assumendum erit: nam sic fiet, vt exagitatus & ad motionem expeditus humor minus illabatur in iuncturas. *Steeghius: Via autem inter membrum mandans & affectum intercipitur* emplastro ex bolo, mastiche, farina volatili, cum oui albumine in massam coactis, quod vbi à capite inter carnem & cutim malum defluit, illinitur corio longo latitudinis 2. digitorum, idq; ceruici ad guttur vsque vtrinq; applicatur: Idem potest fieri paulo supra articulũ dolentẽ, genu, vel pedem, &c. vel loco pro membri mandantis & affecti ratione, commodiore, &c. *Rondeletius:* ℞. acatiæ gran j. spong. bedeg. vnc. iij. rosar. cuspid. glandium, pediculor. vuarum (quas vulgo vocant grappes de raisins) vnc. ij. sem. vuar. rosar. rubr. boli armen. an. vnc. iij. In-

Steeghius.

Rondeletius:

cor-

corporentur cum oleo omphacino, & pauco aceto, add. album ouorum fortiter agitatorum q.s. ad excipiendum: Misce: Applicet in emunctorio partis dolentis, dum sentiet humorem ad partem irruere: Serò aut manè capiet vnam, aut ij. aut iij. pilulas ex sequentibus, quæ non laxant, sed solum fluxionem cohibent: ℞. boli armeni, terræ sigill. an. drach. ij. rosar. mastich. cortic. thuris, bedeg. ras. dentis apri, an. drachm. iij. opii drachm. j. ß. styracis, myrrhæ, ana drachm. ß. cum syr. de papau. f. pil. vij. pro drachm. j. *Leonus: Bolus armenus inter repellentia multum probari solet: nam vltra, quod vbiq; paruo emitur pretio, & in promptu est, appositus duo præstat commoda*; influentem humorem inhibendo, & quod in parte est, digerendo, & siccando, & non retrocedit, vt dolorem excitet: Est etiam vtilis his, in quibus morbus articulorum vnam partem relinquit, vt alteram occupet: In quibus non mouetur, neque fit per de-

Leonus.

fluxio-

fluxionem, inutile eſt vti repellentibus.

CAP. VIII.

De humoribus, qui fluunt tam copia, ſeu quantitate, quam qualitate, corrigendis & educendis.

HVMORES hic intelligimus materiam morbificam, quæ influxit, vel influxura eſt: Nec verò nos putamus quid erroris in vocabulo committi, cum de rebus per vocabula denotatis conſtet, veluti nouatores quidam ideo ſe nouam Medicinæ artem inueniſſe, ſibi perſuaſum habent, cum illi, quod nos Humorem appellamus, Tartarum, ſi Diis placet, inculcent, aut alio barbarico ex cerebro ſuo producto nomine baptizent; quaſi diuerſa nomina diuerſas res facerent: Quod fluit, equidem humidum eſt, & quod humidum, humor; ſic in arthritide materia ad

ria ad fluxum apta est, vel fuit, ideoque humor non ineptè dicitur: Quod si hominem vini dolium dicam, inconueniens erit, ita & si in homine tartarum inesse statuam: At si quid tartaro vini simile in homine reperiri censeam, non aberro: Sic homo est similis mundo magno, & per eam similitudinem paruus mundus dicitur; An verò propterea non vtar amplius vocabulo hominis, sed saltem parui mundi? Humor itaque hic pro causa morbifica arthritidis quacunque habetur non iniuria, qui non est vnius differentiæ, quemadmodum supra cap. 5. ex *Brunnero* latius deduximus, quod hic repetere superuacaneum duximus: Scimus enim, etiam logodædalo illo (ex rustico Medico, qui se Hippiam omniscium gerit) non monente, humores arthriticos non vnius esse generis, nec vni saltem parti impactos, sed diuersis: Quis enim hæc ignorauit, antequam ipse pro stiua calamum apprehenderit? Sed hæc agamus:
Etsi

Etſi verò ſuperius cap. 5 de expurgatione & diuerſione humoris, vbi de fluxione à parte mittente actum eſt, tradidimus, tamen hoc capite inprimis de humore, eiusque eductione, diſſeretur: Conſideramus enim hic humorem vt materiam, viſceribus vel membris impactam, ibi verò vt fluentem, aut fluxuram: De excrementitiis nimirum, qui ex prima, ſecunda, vel tertia concoctione, tanquam crudi & ſuperflui, relicti ſunt in corpore, cupimus intelligi: Hi cum naturam onerent, & cauſam proximam fluxioni miniſtrent, tanquam præternaturales & corrupti educendi ſunt, idque diuerſis modis: Primo, per cathartica approbata, & hoc caſu conuenientia: Secundo, per remedia quædam ſingularia in pretio olim, & adhuc, habita, exiccantia, & quaſi exſorbentia diutino ſuo vſu humores, & tenorẽ partibus affectibus reducentia: Tertio, per ſudorifica: Quarto, ꝑ diuretica, Ex his modis vnus aut plures vſurpari

Humor 4. modis educitur.

pari poſſunt ad eradicationem abundantis in corpore humoris: Nunc ſingula ordine per authorum teſtimonia comprobabimus. *De catharticis*: An hæc conueniant ratione præſeruationis, vti à iuncturis attrahant, diuerſa opinio eſt authorum: *Moſes* 9.aphoriſm.concedit tanquam ſalubria: *Graduenſis* vetat: In præcautionem non conueniunt hermodactyli ſecundum Rhaſim, quaſi materiam purgent & alliciant à iuncturis ſelectiue, quæ ſi ibi non ſit, eò deducant primò, vt euacuent. Celſo placet purgatio ex lacte aſinæ, eoque dicit Alex.Bened.quoſdam liberatos fuiſſe, vel vſu ſeri caprini: Alii feliciter purgantur decocto polypodii cum anyſo 10. diebus. *Crato* conſil.246. *Præparatis*, inquit, *humoribus, non, vt vulgo fit, ſyrupis iſtis longis, quibus primum ventriculus ita multis diebus obruitur, vt deinceps natura citius reiiciat medicamentum, quam ad actum deducatur, ſed ſolis ſyrupis* cum extracto aliquo, veluti in Vere, ſyrupo de ſuc-

[Margin notes: 1. *Catharctica*: / *Moſes*: / *Graduenſis*: / *Crato*:]

cco cardui vel veronicæ, cum extra-
cto calami aromatici: In Autumno,
de ſucco betonicæ vel meliſſæ cum
extracto galangæ, ita vt matutinis
horis duo cochlearia ſaltem aſſume-
ret per aliquot dies. Hæc ille. Qui ad
lenem purgationem ſeroſi humoris
commendat Electuarium de ſpino
ceruino: Sic enim conſ. 227. *Olim*,
inquit, *in aula frequens fuit ſuccus vel
ſyrupus de ſpina ceruina*, qui ſyrupus
domeſticus fuit appellatus, quo mul-
ti aulici in Podagra, & aliis morbis,
cum leniter purget, & ſeroſa educat,
pro præſeruatione cum fructu vſi
ſunt. Idem ibidem: *Eum ſyrupum do-
meſticum* (de ſpina ceruina) ſingulis
ſeptimanis exhiberem ſemel, vel
certe ſingulis 14. diebus: nam &
materiam calculi remoueret, &c. E-
ius conficiendi modum habet Sole-
nander conſil. 20. ſect. 1. quem vide.
Alii, inter quos *Steeghius*, tempore **Steeghius. Cathartica.**
præuiſionis, cum materia non eſt in
motu, leuioribus catharticis vten-
dum eſſe, recte monent, cum vero

mox fluxura eſt, vel dum fluit, efficacioribus; qualia recenſet, vt ſunt ſuccus & acini ebuli, ſuccus Iridis, Elaterium, pulu. rad. cucumeris aſinini, agaricus, turbit, colocynthis, hermodactyli, ſagapenum, opopanacum, Euphorbium ex ſimplicibus: Compoſita, Hydragogum Fernelii, diacarthamum, diaturbit cum rhabarb. Pilulæ ſine quibus, pil. arthritic. Nicol. Cochiæ fœtidæ, de hermodactyl. maiores, Meſ. de ſagapeno, opopanace, Euphorbio. Doſis Electuariorum ℥.j. pilularum drach. j. Ad pituitam: ℞. turbit craſſiuſcule contuſi drach. j. hermodactyl. drach. ß. zinzib. aniſi, ana ℈.ij. ſacchari ʒ.j. ß. ſumat per ſe vel ex vino albo. Ad bilem: Electuar. de ſucco roſar. Nicol. Alex. Roſat. Meſ. pil aureæ, trochiſci de violis cum ſcammonio.

Bayrus. *Bayrus* celeberrimus Medicus vſu caryocoſtini ſe multos annos ab arthritide præſeruauit; vt ipſe tradit, diſtinct. 19. tract. 1. cap. 1. *De Remediis ſingularibus*: De his *Solenander*

2. *Remedia ſingularia.*

conſ.

cons. 20. sect. 1. *Antiquitus*, inquit, *Medici, &c. vsi sunt in his affectibus* medicamentis, quæ illi *Podagrica* appellare vel Arthritica consueuerunt: Quæ si recte consideramus, fere hac indicatione composita videntur, vt sudorem & vrinam moueant, insensibiliter corpus per meatus cutaneos difflent, obstructiones aperiant, incidant crassos humores, & viscosos abstergant: Talia innumera passim in Medicorum libris inueniuntur, &c. Tale est apud Galenum *Theriaca* in podagra, &c. Hæc ille. Huc spectat puluis saluberrimus proclamatus, quo curati sunt multi; sumitur drachm. j. mane in iusculo: ℞. chamædr. chamæpyt. centaurii maior. & minor. saluiæ, betonic. gentianæ, aristol. rotund. ana ℥. j. guaiaci opt. duplum omnium reliquorum pondus: Misc. fiat ex omnibus pulu. tenuiss. sumitur per multos menses in aqua mellis, aut sacchari. Crato consil. 240. Apud antiquos **Puluis.**

quos legimus remedia, tum ad curandum, tum præſeruandum, præſcripta, quæ vim exiccandi habeant, & abſumendi ſuperfluitates corporis, vt Diacorallium, quod ab *Alexandro Tralliano* commendatur: Hoc in arthritide frigida exhibetur cum tepida per centum dies continuos, deinde intermittit dies 30. vt æger reſumat vires: Poſt rurſum exhibet per dies 100. continuos, & iterum per 30. dies intermittit: tertiò exhibet non quotidie, ſed alternis diebus per dies 160. At difficile eſt hodie ægrum inuenire vſq; adeo patientem. Diacorallii hæc eſt deſcriptio: ℞. coralli drach. ij. myrrhæ ℥. iij. caryophillor. ℥. ß. rhapontic. ℥. j. folii ℥. ß. ſi deſit, eius loco, nardi Indicæ ℥. j. radic. pœoniæ tantundem, ariſtol. rot. & long. ana ℥. ij. fiat puluis tenuiſſ. cuius ℈. j. exhibeatur pro doſi ſummo mane 6. horis ante cibum cum tepidæ ℥. iiij. Corallum adſtrictione ſua vias, per quas fit fluxio, reſtringit, nerualibus humidiora

Diacorallium.

&

& laxiora ligamenta incaleſcunt, ſiccantur, roborantur, cæteris pituita morbifica inciditur & tenuatur. *Eiuſmodi* quoque eſt aliud veterum medicamentum, quod ℞. ariſtolochiæ ℥.j. centaurii drach.iij. gentianæ drachm.vj.mei drach.v.hyperici drachm vj. petroſel. Macedon. ℥.ß. agaric.albiſſ.drach.ij rhapontici veri, vel rhabarb.electi, ſi rhaponticum non habetur, drach j. Ex his omnibus fiat pulu. quo arthriticos ſanari poſſe adfirmant, ſi per integrum annum eius vſus continuetur hoc modo: Aſſumat eius ℈ ij. manè in aqua iuæ artheticæ, vel betonic. cum ſyr. de iua arthet. vel betonic. menſe Ianuario per 5. dies, Februario per 5. dies, Martio per 2. dies, Aprili non, Maio per 3. Iunio per 1. Iulio per 2. Auguſto per 1. Septembri per 2. Octobri per 2. Nouembri non, Decembri per 2. *Multi* quoque confidunt ſenecionem, quæ ſecunda eius ſpecies, & herba S.Iacobi vocatur, ſi in ea lauent 15. diebus, ſemper

Veterum medicam.

dimidiam horam ante cœnam, arthritidem curare, ſed id vix tutum ſatis arbitramur. *Alii* ſalutariter vtũtur ligno iuniperi, & in eo aliquot diebus lauant, & maxime laudant, ad roborandos articulos; quod calefaciat & exiccet eos, vt opinor. Noui, inquit *Solenander* ſect. 5. conſ. 3. qui decocti chamædrini 60. dierum vſu à grauiſſima arthritide liberati ſunt. Probarunt quoque chamædryos decoctum Genuenſes Carolo Cæſari in arthritide: nam non ſolum humores exterminat, & abſumit, ſed etiam viſcera, & neruorum genus, roborat. *Crato* conſ. 240. *Prædicatur mixtura quædam e ſale ſambuci* cum ſpeciebus diacorallii, & magni fit à plurimis: Ego nec prædico, nec contemno, ſed relinquo ſuis authoribus. *Idem*: Vere, æſtate, & autumno, ſumat hunc puluerem: ℞. cornu cerui crudi ℥. j. cornu cerui vſti, raſuræ eboris an. ℥. ß. oſſium de crure bouino ʒ. ij. corall. rubr. albor. ana ʒ. j. cinnamom. ʒ. j. ß. ſacchari albi ℥. ij. miſc.

Solenand.

Crato.

fiat

fiat puluis: de hoc accipiat, quantum cochleare poteſt capere horis tribus ante prandium: Abſumunt enim iſti pulueres ſuperfluos humores, qui fluxionum ſunt materia. Huc & referendum, quod *Solenander* conſil. I. ſect. 5. habet: *Ad podagram*, inquit, *ita erat ſcriptum* (in Italia) remedium certiſſimum: Menſe Martio, Luna decreſcente, collige marrubium, illud cum vino albo tuſum exprime, & ſuccũ ita expreſſum bibe triduo, atque iſto anno poſtea non patieris hanc infirmitatem: Idq; abſq; dubio præpurgato corpore & corroboratis partibus affectis veriſſimum eſt. *De ſudorificis*. De his *Crato* conſ. 247. *Et ne*, inquit, *ex internis partibus pituitoſa educantur*, ſed & ſeroſi humores, qui maxime defluxum faciunt, neceſſarium eſt, ad præcautionem, vt quotidie vel ſæpius in ſeptimana ad mouendum ſudorem aſſumatur cochl. j. de hoc diſtillato: ℞. meliſſæ, valerianæ, & bacc. iuniperi, aſpergantur vino bono

Solenand.

3. *Sudorifica.* *Crato.*

dulci, & in aqua meliſſæ macerentur, ac in vitro diſtill. bene operto vaſe, & ex eo ſumatur cochl. j. quotidie: ſed à ſudore caput & totum corpus mundetur, & caput lixiuio, in quo coctum ſit polytrichum, ante cœnam lauetur, caueatq; à lotione aerem. *Idem* conſilio eodem: Quod ſi vires conſtant, valde profuerit, præmiſſis purgationibus, Guaiaci decocto vti, ſed ita præparato: ℞. ligni guaiaci limati lib. j ß. infunde aquam feruentem, & ſtent diebus 12. vaſe bene munito vitreato: Huius ſume lib. j. & adde lib. xij. aquæ, coq. ad dimidium, in fine iniice pugillos iij. chamædryos: Bibe de eo decem diebus ℥. vj. Poſtea 20. diebus veſperi & manè, duabus ſemper horis ante cibum, vt à prandio ad cœnam interſint horæ 7. vel 8. & ſudes, ſi potes, horam vnam. Poſtremo rurſus bibe 10. diebus, ſingulis ſemel, vt ita bibatur diebus 40. vitentur interea acetoſa & ſalſa nimium, & in vno prandio & cœna ferculo vno ſit contentus,

tentus, carne veruecina vel gallinarum cum vuis passis: Si potest ferre, adhibeatur cibo secundum decoctum, in quo ad lib.j. ligni xx.lib. aquæ affund. & decoq. ad tertias, appenso cinnamomo in linteo. *Hoc remedio non modo multi podagræ diu restiterunt, sed in vniuersum ab ea sese liberarunt.* Hæc Crato. Alii hoc vtuntur decocto: ℞. rad. sarsæ parigl. minutim incisarum ℥.ij. liquirit. rasæ & incisæ drach. vj. anisi drach ij. capill. Vener. m. ij. cinnamom. elect. & crassiuscule incisi vel contusi drach. ij. affundatur aquæ puræ mensur. j. ß. decoq. ad consumt. mẽsuræ: Detur ꝑ potu sudorifico. *Chamædrite* vinũ tàm diuretici, quàm sudorifici vices supplet, & magis per insensibilem transpirationem viscera & neruos roborat, & vniuerso habitui tonon quendam impertit, vt Solenander monet: Minoris centaurii decoct. & ceterach vna ex aqua & melle phlegma subducit: Mithridatii & theriacæ vsus commodus, sed hæc omnia,

purgato bene prius corpore. Pentaphylli decoct. eo quod mire mouet sudores, plurimum conferre dicitur, & potissimum calidis naturis: Radix Chinæ & sarsæ parillæ in decoct. Ossa combusta, & in pollinem redacta, præsertim humana, cum conser. rorismarin. & betonic. Cornu ceruin. crudum vel vstum. At hic *Cratonis*
Cautio. Epist 125. *cautionem* scire deceat; qui inquit: *Sudorifera (id quod de ligno Guaiaci animaduerti) crebro exhibita, humidum radicale consumunt.*
4. Diuretica. *De Diureticis:* quæ tamen in calidiore arthritide & extenuatis noxia sunt: In aliis verò purgato corpore, partim per vrinas, partim per sudores humor
Crato: commode expurgatur. *Crato* consil. 224. *Ac quoties sudores non prodeunt,* & vrina pauca est, certum esse podagræ aduentantis initium sciat: Ad vtramque intentionem recte dantur matutine ij. cochlearia succi è baccis sambuci cum saccharo præparati ad modum syrupi. *Idem* consil. 240. *Docti Medici* omnes ab experimen-
tis

tis didicerunt, ea corpora, quæ multum vrinæ emittunt, & sudant frequenter, minus à podagra tentari: In quibus verò illa duo excrementa, sudor, inquam, & vrina detinentur, ii ad hunc affectum maxime procliues sunt: His de causis moueor, vt sassafras, quod nuper inuentum est, vsum ad præseruationem nequaquam improbem, si facultatem habet vrinam & sudorem ciendi: An verò, quod aliqui gloriantur, id insit ei ligno, experimento nullo obseruaui, &c. Nam cum crassi humores absque serosis non possint fluere, optima est præseruandi ratio, in victu serosorum copiam euitare, & si in corpore cumulentur, per sudores & vrinas tempestiue educere. Hæc *Crato*. Quam sententiam *Cratonis* lubens amplector, ac inde facilime problema hoc, cur calculus & podagra non raro coniungantur, solui posse, non dubito: vt idem *Crato* cum aliis, consil. 239. obseruat: *Plærumque*, inquit, *duo ista mala, videlicet renum* *Calculus podagræ iunctus.*

dolo

dolor à calculo & podagra in corporibus coniunguntur. Donzellinus conſ.237. *Calculi & podagra morbi fere ſunt affines* & agnati, & ex eadem materia phlegmatica ſcilicet, & in iiſdem corporibus, quæ ſcilicet epate & renibus ſunt calidioribus, ſtomacho autem phlegmatico prædita fieri ſolent: Illud præterea etiam habent, quod morbi ſunt hæreditarii, & ex parentibus in filios per propaginem quandam transfundi ſolent. Hæc *Donzellinus.* Verùm ſi renes ſint calidiores, ſeroſum humorem copioſius ex ſanguine educent, & vrinam multam reddent: vnde non præbebitur arthritidi tanta materia, quam ſi renes frigidiores minus attrahant, & epar minus calidum, vt multum phlegmatici & ſeroſi humoris in corpore gignatur & relinquatur, vnde podagræ & calculo materia ſuppeditetur: Eſt præterea puluis diureticus ad hanc rem commendatus: ℞.ſem. leuiſtic. aniſ. petroſel. an.℥.ß. erithrodani, meliſſ. gentian. an.ʒ.iij. ſaluiæ,

Donzellinus.

Obiectio.

saluiæ, betonic. ana ℥.ij. misc. f. pulu. Dosis drach. j. *Crato* consi. 240. *Ego & ratione & experientia* multiplici adductus rasuram cornu ceruini opt. ligatam in petia, & impositam potui, certum habeo & vrinam prouocare, & corpora, modo ad id procliuia sint, ad sudorem disponere, si præsertim manè in lecto se contineant, & membra foueant, quod qui faciunt, à podagra ferè liberi sunt. *Hæc ille.* **Crato:**

CAP. IX.

De paroxysmo vrgente mitigando, & patiente a doloribus vindicando.

PRÆSERVANDI ab arthritico paroxysmo, ne ille redeat, modum, hoc est, ipsius affectus, quatenus morbus est, curationem, paroxysmo non vrgente, absoluimus, eumq; duplicem, nempe breuiorem nostrum pro fastidiosis, & prolixiorem ex aliis authoribus probatissimis col-

collectum pro iis, qui rationi & Medico præcipienti obediunt magis, quàm propriæ viuendi consuetudini; superfluis omnibus quæstionibus, & quæ nihil aut parum ad curationem ægroti faciunt, omissis & præteritis: Nunc ipsius symptomatis affligentis, hoc est, doloris arthritici præsentis mitigationi operam dabimus, atque hoc gemino modo, breui nostro, & aliorum longiore: De eo prius, mox de altero, hoc eodem capite: Vulgus saltem in hoc vno, hoc est, symptomate compescendo, omnem podagræ aut chiragræ curationem sitam existimat, in quo fallitur: Nam paroxysmum tollere, & ad tempus inhibere, non est radicitus causas mali extirpare, quod pòst intactis nec sublatis causis plærumque atrocius redit, & consuetum suum occupat hospitium, donec hospitem subegerit, & temperiem omnem membrorum & viscerum destruxerit: Atque hæc est vna causa, cur patien-
tes

res de vera ſui curatione deſperent, cum ab Empyricis toties circumducti fuerint, qui ſedato ſymptomate ſemel, ipſum non rediturum, fruſtra & falſiſſime promiſerint: Nam iiſdem cauſis intra & extra corpus recurrentibus in arthriticis, hoc eſt, intemperantia, & ex ea (vt Medicorum nutrice) cacochymia humorum, iidem effectus, hoc eſt, arthritici dolores & tumores ſtatis temporibus recurrent, & ſic noui atque noui paroxyſmi Vere & Autumno citius aut tardius contingent. Altera cauſa eſt, quod hoc malum dicatur opprobrium Medicorum, propter ignotam, ſecundum Fernelium, originem. Accedit, quod plærumque eius curatio in principio, dum adhuc affectus eſt curabilis, à patientibus celetur, nec rationali Medico curãdus committatur: Inde verum fit, quod *Rondeletius* monet: *Quod ſi morbus*, inquit ille, *tantum accreuerit, vt partes imbe-* Rondeletius.
cillio-

cilliores reddiderint, inutilia sunt remedia hæc vniuersalia, sola mitigantia dolorem sunt ex vsu. Si itaq; partes nondum sint à suo tono & robore omnino deiectæ & spoliatæ, curatio vniuersalis tentanda est; aliàs parum fructuosa speratur: Quomodocunq; sit, vtrobique symptomatis dolorifici mitigatio est necessaria & perutilis. *Constat* autem nostra paroxysmi, si præsens sit, vel anteuerterit, sublatio, non saltem in doloris mitigatione superficiali, sed in remotione eorum, qui dolorem illum causantur: Hoc autem præstare, hoc opus hic labor est, & plane circumspectum requirit Medicum. Indicationes hic nobis occurrunt huiusmodi: Dolor hic est acerrimus, qui fit à materia continente morbifica, neruis & tendonibus extremarum partium impacta, mordicans eas, vt valde sensibiles, & extendens; Hinc oritur indicatio, quod hæc mox educi debeat: Sed hic duo impedimenta aut remoræ occurrunt: 1. Si vna pars extra-

Paroxysmi sublatio nostra.

Indicationes.

Cautiones.

extrahatur, medicamentis calidis & attrahentibus, dolorem non solum intendi ex applicatis, sed quoque nouam materiam, quæ iam est in fluxu, & sua sponte sequetur, attrahi experimur. 2. Si validiora vsurpentur medicamenta extrinsecus, illa aut erunt valde calida & attrahentia, vnde tenuiores humoris impacti partes ad se trahent, relictis crassioribus, quæ in tophos degenerans distorsionem membrorum eorum inducit; aut valde frigida, vel etiam narcotica; quæ materiam dissipari non sinunt, vnde dolor mox redit ex obstructione, qui prius: Materia itaque continens cautissime educenda est, ne, dum vitemus Scyllam eam, in hanc incidamus Charybdin. Fluxio 1.
fiens adhuc auertenda vel prorsus reuellenda est; Viæ, per quas fieri solet, 2.
constringendæ, ne permittant humores: Dolor interim mitigandus 3.
auxiliis non obstruentibus, nec nimis calidis, nec frigidis, sed in profundum penetrantibus: Materia im- 4.
 pacta

pecta educenda, & ex fundo attrahenda, vt tumor resoluatur, si quis
4. adest. Denique pars affecta à dolore & tumore liberata corroboranda est, ne nouam materiam mox in se recipiat. Priores quatuor scopi simul intendendi sunt, & iis absolutis quintus addendus: 1. Fluxio, dum perdurat, reuellatur in contrariam partem eo modo, quem superius capite quarto dedimus, nempe cum puluere illo vomitorio minerali, aut si ille non sit semper ad manum, ei consimili: Et sic fluxus in momento cessat, & materia omnis antecedens ad os regurgitat, ac inde educitur, vt prius traditum; Si hic purgatio per aluum cum caryocostino Bayri aut aliis purgantibus fiat, cauendum, ne deiiciatur in pedes, & dolor exacerbetur magis, quàm minuatur: Eo in casu oportet partes affectas altius tenere in lecto, donec euacuatio rite facta sit: Hoc nisi prima vice satis eduxerit, sequenti die repetatur, vt exquisita fiat purgatio. 2. *Viarum*

& mea-

& meatuum fluxionis ſupra partem affectam constrictio fiat, hoc modo: Antequam euacuatio, vt iam dictum, fiat, defenſiuum ponatur ad partis recipientis caput, hoc eſt, ſi podagra ſit, ſupra vtrumq; genu in coxendice, triplicata lintea humectata in ſequenti decocto, circum circa calide applicentur; ſi chiragra, ad humerum: ℞. aceti acerrimi ℔. ij. granor. myrti, nuc. cupreſſ. acaciæ, ana quantum videtur, contuſa coqu. ſimul: colaturæ adiice ſalis communis, vitrioli, aluminis, ana m. j. coqu. iterum, & ſeruetur ad vſum, vt dictum, 3. *Dolor mitigandus:* ℞. ligni aloes, ſuccini, thuris, ſandaracæ, ſem. hyoſchiami, ſtyracis, calam. gummi guaiaci, animæ, an. ʒ j. pulueriſentur craſſiuſcule ad ſuffitum: Eius aliquid ſuper ignitas prunas ponatur, & fumus recipiatur in pedes, vel manus, ſeu partes dolentes, ita tectas pannis, ne fumus facile abire poſſit: Hæc ſuffumigatio fiat per dimidiam horam, & amplius. *Ad dolorẽ ſuffitus.*

Fumus ille penetrat cutim, & ad neruos à materia obſeſſos peruenit, quos corroborat, poros cutis aperiendo, & materiam diſcutiendo: Seminum vis narcotica quidem, ſed in tanta commixtione minime noxia, præſertim in vapore: *Suffitu* facto, in ſequenti mixtura humectentur linei panni, qui calide circumdentur partibus affectis, & dolorem adhuc magis ſedabunt: ℞. comarum abſynthii m. ij coq. in aceto vini acerrimo ℔. ij. ſem. hyoſciam. ℥. j. cort. mandragor. ℥. ß. fellis bouis ℥. ij. miſc. Hic acetum narcoſin temperat, quod etiam fel & abſynthium facit. 4. *Materiæ impactæ & tumoris reſolutio, & ex fundo attractio*: Si cauſa continens non fuerit omnino ſublata, fac lixiuium forte ex cinere fagi vel quercus ad q. ℔. x. Ei incoquatur rad. altheæ ℔. ß. vitrioli ℔. ß. fol. hyoſciami m. j. fiat colatura, cui calidæ imponantur pedes; Interim defenſiuo priori locis dictis retento. 5. *Pars affecta corroboratur, tumore ſublato*, eodem liquore, quo

Fotus.

quo in secunda intentione viæ sunt constrictæ, si linteis in eo calido humectatis inuoluatur. *Tantum de modo nostro breuiori*, quem sæpissime, præsertim in *Anglia*, feliciter vsurpauimus. *Nunc secundum hunc ordinem*, authorum aliorum ad symptomatis arthritici correctionem spectantia remedia producemus, iisque nostram sententiam comprobabimus. *Ad primum scopum:* In dubium circa eum vertitur, an vrgente dolore, & fluente materia, ea educenda sit ita cruda, nec præparata, ante morbi vel paroxysmi declinationem. Sed *vrgens necessitas*, quæ non habet legem, & *experientiæ veritas*, quæ magis amica sit, quàm *Galenus*, aut *Hippocrates*, authores, quorum vestigia sequor, facile excusabit. *Solenander* consſ.20.section.1.*Alexander Trallianus lib. 11. expressis verbis iubet exhibenda solutiua, non solum præseruationis ratione per morbi interualla, sed in ipsis mali paroxysmis; quod non mihi videtur alienum ab Hippocratis præce-*

Paroxysmi sublatio per alios authores comprobata.

Quæstio.

Resp.

Solenander.

pto, quod habet primo aphorismorum. Huc spectant, quæ idem *Solenander* cons. 25. sect. 4. (quorum superius cap. 5. meminimus,) de hac medicandi ratione adducit, & nos superius latius commemorauimus, hic non repetenda. *Ad secundum scopum confirmandum* quæ spectant, quoque iam ante cap. 7. copiosissime produximus. *Tertius vero scopus doloris mitigationem exhibens, hic inprimis demonstrandus erit:* Circa quem suffitus, num sit probabilis, considerandus primò venit: Vt verum fatear, hanc medendi rationem

Cardan. primitus à *Cardano* hausi, qui se felicissime arthritin hoc medio profligasse testatur, author mihi in singulari respectu, circa remediorum de-

Crato: lectum, habitus. Post hunc *Crato* cons. 247. *In omnibus*, inquit, *lotionibus, dum vsurpantur, vel sub ingressum vapor adhibendus est pedibus ex baccis iuniperi, storace calamit. benzoino, caryophyll. puluerif. vel trochiscis pro fu-*

Solenand. *mo. Solenander* sect. 5. cons. 5. *Suffitus debet*

debet fieri ex vna parte sandaracæ, id est, gummi iuniperi, thuris, caryophill. vna part. ß. contusa debent misceri, & ex iis portiuncula carbonibus imponi. *Secundo*, anodyna quædam probata; Tertio, narcotica innoxia; Quarto, occultæ, & non satis perquisitæ proprietatis remedia prolaturus sum: *Anodyna*, si tumor sit cum materia frigida. *Montuus: Fotus frequens* ex aceto acerrimo, in quo sunt elixata origanum, saturęia, calamintha, dolorem mitigat, & aliud rheuma renasci inhibet: Barbascus angustiora folia habens, tritus, & impositus, dolorem intra paucas horas ita tollit, vt facultatem ambulandi restituat. Radix arthemisiæ præmansa & comesta intolerabiles podagræ dolores cum omni celeritate coercet: Eadem herba cum oleo subacta, & imposita, neruum dolētem & tumorē mirifice sanare, dicit Nicol. Alex. Cinis brassicæ ex axūgia leuamentū præstat, sed mire lenit, si recēs est; vetus, salsa ocyus discutit & dissipat dolorem,

In causa frigida.

Anodyna.

Montuus.

lorem & tumorem. Mucago fœnugræci ex poſca extracta per elixationem, & adiecto poſtea melle, recocta efficax eſt, ſi triduo hæreat. Anodyna præterea ſunt malagma cum ſapa & furfure, vel farina hordei, ad ignem commiſta. Cataplaſma ex lomento fabarum cum ol. roſ. & chamomæl. butyro recent. adipe ſuillo ad ignem commiſtum, in fine add. lutea ouorum ij. croci ℈.j. ℞. ſtercoris vaccæ ℔. ij. mellis communis ℥. ij. f. cataplaſma. ℞. ſtercoris vaccæ ℔. j. farinæ fabar. furfur. an. gr. j. cumini & ſem. fœnugræc. an. ℥. j. excipiantur oxymelle, & applicentur ſuper partes intumeſcentes & dolentes. *Seilerus* conſ. 244. *Maxillæ luciorum puluériſatæ*, & lacti caprino commixtæ ad ſopiendum dolorem plurimum virium habent: Vel cornu ceruí lima raſum, & in vino decoctum, fomentando locum mirifice confert: Sic vlmi folia in vino decocta loco tumenti adhibita multum proſunt: Confert & hoc ad ſopiendum dolo-

Seilerus.

dolorem, ſi dicta non contulerint: ℞. aquæ plantag. ſambuci ana lib. ß; ſolatri, vini diſtillati ana ℥. iij. miſce. etiamſi calor adfuerit, vel applicetur aqua tapſi barbati, in qua aliquid thuris ebullierit: Vrtica in vino cocta, & appoſita, mire dolorem ſedat; Pinguedo canis caſtrati quomodo præparetur, habet Solenander conſ. 4. ſect. 5. *Fel quoq; canis* ſpiritus arthriticos extrahere, probatiſſimorum authorum vnanimi conſenſu abſque dubio veriſſimum eſt, cuius præparationem à Iudæo quodam, amico mihi noto Gedani communicatam, accepimus. Si cauſa doloris potiſſimum ſit calida: Irrigatio ex aceto veteri & ol. roſ. vel ex ſucco plumbi cum ſucc. plantag. vel ex ol. roſ. cum betæ ſucco: Ad vehementem dolorem, illitio ex aqua endiu. aceto & ceruſa; ℞. ol. roſ. & viol. an ℥. j. croci ℈. ß. camphor. gr. iij. lutea ouorum tria, f. liniment. Cataplaſma ex molli panis macerato in lacte bubulo, additis vitellis & ol. roſ. Mucago ſem.

Fel canis.

In cauſa calida.

psyllii, cum hordei farina, & ol.ros. imposita, pauco aceto addito. Ad bilis pallidæ fluxum repellens, & anodynum fiat malagma ex mucag. sem.lini, fœnugræc. sem.psyllii cum pul.ros.siccar. Aliud, quod cruciatus maximos mitigat, brassicæ coctæ, & contritæ, fæcis aceti, lutea ouorum bina, olei ros. q.s. misc. Oleum hepatis ranarum & gallinarum idem præstat. Accipe ranas 5. lumbricorum terrestrium elotorum vino ℥.iij.coq.in ol.ros.quo illine molliter articulum dolentem: ℞. ol.ros. lactis vaccini an. ℔.j. coq.cum pane siligineo,remotis ab igne immisce ouorum vitell.iij. vel iiij. cum tantillo croci,& cataplasmate circumda. *Helidæus* Bononiæ Medicus celeberrimus hoc sæpe vsus est: ℞. ol. è vitell. ouor. ol.ros.an.℥.j. vitell.ouor.ij. addito aliquando opii & croci an.gr.iij.

Helidæus.

Narcotica: Oleum, in quo decoquitur torpedo,dolorẽ mitigat. Oleum de turpena est mirabile epiplasma, seu mitigatur, si illinatur: Quam caute cum

Narcotica.

te cum vſu Narcoticorum procedẽdum ſit, cuilibet vero Medico ſatis notum eſſe debet, at nihilominus ab omni eorum applicatione abſtinendum non erit. *Monauius* ad *Cratonem* epiſt. 210. Galenum ipſum narcoticis audacter vti aſſeuerat, dum inquit: Interim tamen non prorſum abſtinendum (dolorem tollentibus) donec ſenſum pars penè omnem amittat, & ἀναίσθητος atq; ſtupida fiat: Si *Galenum* conſulimus, quàm ille liberalis eſt ex *Archigenis* & aliorum ſentẽtia, in iis admouendis, quæ opium, ſuccum hyoſchiami, cortices mandragoræ, & alia narcotica recipiunt? Ego tamen tàm audacter & tali magiſtro præuio ad extrema huiuſmodi conſcendere olim, &c. *Næuius* conſ. 225. ℞. pulpæ ſimilæ durioris, non acidæ, tritæ, ℥. ij. pulu. folior. chamomæl verbaſci, melilot. citrin. an. ℥. ß. cum ſem. papau. in expreſſione olei illius relictas, ℥. ij. rad. hyoſchiami albi ʒ. ij. mãdrag ʒ. j. ß. flor. caſſię recẽt. extractæ cum aqua ſemperviui ℥. j.
coqu.

Monauius.
Næuius.

coqu. in lacte caprino, in quo opii gr. j. dissolutum fuerit ad spissitudinem pultis; Vtatur pro emplastro, quoties exiccatum fuerit, imponatur recens, siue die, siue nocte. Ex radice alterci assata sub cineribus, & cribrata, cum oleo chamæmel. Malagma ex radicibus cicutæ elixatis, & per setaceum traiectis: Succus hyoschiami plantæ pedis adhibitus, tumores podagricos calidos & frigidos dispergit, doloresq; mitigat. Nicol. Alex. Podagricis, & doloribus omnibus remedium fit ex aceto cum melle & lolii farina ad ignem decocta vsq; ad crassitudinem, & imponitur: Cataplasma ex mica panis cum lacte & succo papau. solani & croco; Illitus ex butyro cum mandragora mitigat dolorem. *Gordonius*: Medicamentum sedans dolores: ℞. rad. lilii, sem. hyoschiami an. ʒ. iij. ceruſ. ℥. j. medull. cerui & vitul. an. ℥. ij. ol. antiqui & ceræ q. s. f. vnguent. Inter leniora hoc est: ℞. fol. hyoschiam. m. iiij. baccar. solatri ℥. j. contund. coqu.

Gordonius.

aqua

aqua commun. inſpergantur farinæ hord.℥.j.ß. ol.nenupharin.parum, f. cataplaſma. Item hoc: ℞. fol. hyoſchiam.mandrag cicutæ, ſolatri, vel papau. q. v. coq. contund. cum ouorum luteis induratis, & ol.roſ. f.cataplaſma, cui licet inſpergere farinam ſem.papau. Validiora ſunt, quæ recipiunt ipſum opium; vt ℞.opii thebai ʒ.j.croci ℈.ß. mucilag.ſem pſyllii ℥.ij. oui vitell.n.ij. ol.chamæmel. roſ.an. ℥.ij.ceræ ℥ j.f.vnguent. ℞. opii ʒ.j.ß. camphor.℈ j.mucilag.pſyllii ℥ ij. vng.roſ.Galen. ℥.iij. f.linim. *Sed oportet* dolorem mitigare ita, ne à medicamento plus ſit mali loco affecto, quàm à morbo fuit: Stupefacientia etſi dolorem ſedant, tamen haud dubie calori innato, qui omniũ operationum naturalium in quacunque parte efficiens eſt, vehementer obſunt, ſi nimium vſurpentur: Ideo prolixo tempore adhærere narcotica ne ſinas, & ſtatim ſtupefactiuo ablato pars affecta oleo lilino vel chamomæl. calido foueatur: *Cautio.*

Tum

Tum autem ſolatio eſſe debent ægris, cum extremus eſt dolor, qui ferri non poteſt, & ſæpe febrim & delirium accendit. *Occultæ qualitatis remedia nonnulla nunc annectemus, quæ apud probatos authores inuenimus.*

Remedia occultæ qualitatis:

Podagram ſanant pedes ranæ ligati in

1. corio cerui, & ſuper podagrici pedes

2. poſiti. *Ad idem* crus & corium capiullæ vulturis pedibus ægris adalligantur.

3. *Pes item* teſtudinis dexter ſupra ægri pedem dextrum, & ſiniſter ſuper ſiniſtrum applicatur: quod pentaculi genus *Solenander* ſection. 1. conſ. 20. quoque deſcribit, oculatus teſtis eius probationis à monacho in Italia factæ; Vbi addit: *Arbitror in podagra frigida applicandas terreſtres teſtudines, in calida, aquaticas: Nolim hoc aut ſimile remedium parui fieri, quod ab vſu communi, aut à ratione alienum videatur: Nam multa ſunt in rerum natura, quæ experientia talia comprobat, licet ratio nihil inueniat, quo illa diiudicet: Excellentiſſimi ante nos Medici illis vſi ſunt, & diuiniſſimus*

Solenander.

mus Galenus vtitur ſubinde, quemadmodum paſſim videre eſt, & Alexand. Trallian. fidem facit lib. 5. cap. 13. Imò ipſe *Solenander* affirmat, eo remedio vſum *Epiſcopum Stabienſem*, (alligante Solenandro,) & paulatim cœpiſſe habere melius. Ad chiragram ſimiliter *dextra* teſtudinis manus (ſeu pes anterior) ad dextram affectam imponitur, & ſiniſtra ad ſiniſtram. *Calcaneus* aquilæ liga- 4.
tus ſuper ægri pedem, à tali affectione liberat. *Magnes* item ligatus ſa- 5.
nat, ex Rhaſi. *Nerui* vulturis, talique 6.
leporis adalligantur. Cutis phocæ, 7.
ſi pedibus ſubſternatur. Nerui ex 8.
collo aquilæ & dorſo extracti, & ſuper collum & ſpondylos patientis alligati: Fama eſt, addit alius, quod 9.
ſi quis noctu per Lunæ ſilentia pedem ranæ amputauerit, & pelle ceruina incluſum pedi podagrico per triduum alligauerit, dextrum ſcilicet dextro, & ſiniſtrum ſiniſtro, dolorẽ compeſcet. Idem præſtat ſtercus 10.
lupi in pelle animalis ab eodem lupo lania-

laniati consutum & gestatum: Superstitiosum verò nimis videtur,
II. quod in Thesauro Chymico Fideiusti Reinecceri traditur: *Tempore nouilu..ii* ito in balneum, mollefactisq; vnguibus pedum, vel manuum, in quibus podagra consistit, reseca illos vnà cum capillis: Deinde eo die, quo interlunium accidit, summo cum manè, ante Solis ortum, ad salicem aliquam ito, & facto foramine in eam, ingere resecatos capillos, & vngues, & foramen claude. *Cui si* quis fidem potius adhibere, quàm experimento inuestigare malit, per nos licebit: Scripsi, vt reperi, vt causa si qua naturalis adsit, & veritas manifesta fiat: At multa sunt, vti *Solenander* antea monuit, quæ experimento vera inueniuntur, licet ratio aut opinio hominum ea falsa putaret. Quod si nostrum iudicium in hisce tàm abditis quæratur, ad transplantationis genus, quo morbus ab vno indiuiduo in aliud transfertur, spectare arbitrater. Nemo autem, qui authores, tàm

veteres,

veteres, quàm recentiores legerit, existimabit, hunc modum transplantandi morbum ab vno in alium impoßibilem eſſe, licet, quomodo id fiat, ignoretur. Sic *Galenus* in colico exemplum adducit canis dormientis, qui ſi à patiente colicam excitetur, & in eius locum ſpuatur, canis dicitur eodem dolore affici. Et *Marcellus Empyricus* quamplurima eiuſmodi habet, & inter cætera de equo à phthiſico ad curſum acto, donec ſpumam ore emittat, qua ebibita, æger dicitur reconualeſcere, & equus perire. Ne quid de aliis magneticis curationibus vulnerum per vnguenta armaria, aut morborum per alia amuleta, pentacula, Homericas medicationes, & id genus alia, hic adiiciamus, de cane & homine veriſſima exempla producere poſſem. *Crato* conſil. 246. *Vrgentibus*, inquit, *doloribus, catulum parti affectæ (volunt autem quidam, vt illius pilus ſit concolor) adhibent.* Idem conſ. 239. *Ingraueſcente dolore, ad pedem affectum po-*

Transplantationis morborũ modus, quod ſit vſitatus veterib.

Crato: 12.

natur catellus: catellum enim non tantum calore suo facere, vt diffletur materia, & digeratur, sed mali vim ad se pertrahere, ita vt interdum quoq; mori animaduersum sit: Tunc vero sepeliendum existimant in loco, ad quem homines non accedant; sed hoc superstitiosum existimo: appositum vero dolores sedare rationi consentaneum. Hæc *Crato.* Nos etsi superstitiosis minime assentiri possimus, tamen nuper ex relatione viri primò nobilis, deinde Principis, hanc curam transplantatiuam non esse omnino fictitiam, aut imaginariam, sed probatissimam, in personis, quas ipsi optime nouissent, experimento manifestissimo demonstra-
13. tum: Ex iis personis prior acerbissimo dolore humeri & scapularum diu torquebatur, cui omnia alia auxilia frustra & sine omni fructu adhi-
14. bita erant: Altera circa pedem eodem cruciatus genere vexata nil opis quoque in remediis quibuscunque experta est: Harum vtraque curatione transplantatiua vsa, affectum

in aliud animal (quod Æſculapio aſtare fingitur quadrupes, à Iureconſultis inter pecora non numeratum) medio riui (inſtar Pelecani) de parte affecta emiſſi, iam dicto animali ad deuorandum proiecti, quo abſumpto, ſanitas perfecta vtrique in dictis partibus, quaſi in momento, ſecuta eſt, & quadrupes mox interiit. Verùm de hiſce aliisq; quaſi hyperphyſicis curationibus in ſingulis fere morbis aliquando in Quadriuio noſtro Medicinæ practicæ, quod meditamur, exempla innumera, (vt & hic latens veritas eruatur ex ignorantiæ tenebris) vnà cum aliis remediorum generibus ſelectis, in medium producemus.

CAP. X.

De reliquiis materiæ morbificæ, tanquam causæ proximæ motũ impedientis, discutiendis, nec non tophis, si qui sint, emolliendis, & absumendis.

HVCVSQVE Medicus stratiotem egit strenuum, dum hostẽ, qui corporis humani extrema præoccupauit, in ipsis suis latibulis strategemate sopiendi dolorem vsus visitauit, & oppressit: Nunc restat, vt eundem secum adducto militum auxiliariorum præsidio penitus eiiciat, & pessumdet: Victoria enim hactenus penes Medicum extitit, qua, vt deinceps ingeniosè vtatur, annitendum erit. Sublato itaque, vel mitigato symptomate, ad reliquias morbi, quæ tumorem earundem partium relinquunt, aut etiam tophaceam duritiem, aptis remediis, eradicandas, intentio est: Nam nisi hoc fiat tem-


tempeſtiue, verendum eſt, ne viribus recuperatis morbus mox, vt prius, recidiuam faciat, & aſperior recurrat: Huius ſententiæ inueniuntur practici, quotquot ſunt, excellentiſſimi, ex quibus pro confirmatione teſtimonia non pauca afferemus: *Crato* conſ. 240. *Ad reſolutionem*, inquit, *cum poſt paroxyſmum tumor adeſt, nil melius eſt fomentationibus:* Eas nonnulli ita præparant ex herbis, abſynth. arthemiſ. & eruca: Aliqui artificiales thermas faciunt ex alumine & ſulphure cum pauco thuris & baccis lauri: Ego ſuadeo, vt pedes quàm minimum humectentur, ſed vapor excipiatur à pedibus, de eruca, abſynthio, & arthemiſia coctis in aqua & vino, omiſſis tum vnguentis, tum purgantibus fortioribus. *Idem* conſil. 128. *Hoc fomento vtatur*, accipiat origanum, arthemiſiam, agrimoniam, & betonicam, ac decoqui iubeat: Hoc decoctum calide iniiciatur vaſi idoneo, & pedibus panno ſimplici primum contectis, excipiatur fu- **Crato:**

 mus,

mus, deinde pannus duplicetur, & magis magisque contegatur, ſudor abſtergatur: Rurſus ſilices igniti iniiciantur, & ſudet per dimidiam horam, manè, aliquot dies: Poſt fomentum illud inungantur pedes aqua & vitulino hepate cum ſaluia diſtillata: Pedes non lauet. Et *conſ. 224. Fomenta* etiam pedibus admouentur ex decocto arthemiſ. orig. abſynth. & chamomil. in vino & aqua: Fiat autem vas, in quo fumum pedibus excipiat, ita vt bene concaleſcant tecti. Hoc fomentum vtiliter adhibetur poſt paroxyſmum podagricum: ſed cum iam dolor eſt præſens, atque incipit malum, nequaquam fomentum adhibendum. *Hactenus Crato.* At nos vaſe quodam duplici in Anglia vſi ſumus, nempe ex lignis quercinis facto cum duplici interſtitio, vt nec aqua, nec vapor immediate tangat partem affectam, ſed ſaltem calor, qui tamen ſecum virtutem decocti abſque ſenſibili humectatione (nam aliàs & vapor facile in aquam redit,) ad

Vas pro ſudore excitando in partib. affectis.

d membra circumtecta defert: Hu-
ius figura est hoc modo: In qua lite-



ræ B.C.E.F. denotant vas seu cupam
quernam, cuius duplex est intersti-
tium aqua bulliente vsq; ad summũ
repletũ: A.G.H. est cauitas, in quam
manus vel pedes tumentes inserun-
tur, superius circum oras tegendi:
C.D. est infundibulum, per quod a-
qua vel decoctum aliquod herbarũ,
origani, arthemis. absynth. erucæ,

chamomill. infunditur; quousque tota illa capacitas vasis sit plena: F. ostendit rostrum circa foramen, per quod aqua post vsum iterum emittitur: Potest autem vinculis ligneis vel ferreis circumcingi: Debet vas ex querno ligno fieri, non ex alio, quia hoc astringendi & corroborandi vim vna cum calore decocti transmittit ad partes affectas. *Solenander* praeterea non vno saltem loco meminit, quomodo post paroxysmum cessantem vel arte sublatum materia superstes educenda sit; Consil. enim 19. sect. 1. *Transacto*, inquit, *principio iam dictis adstringentibus remediis aliquid admiscendum*, quod paulatim discutere incipiat illapsum humorem: Declinante deinde malo, caeteris omnibus reiectis, his solis agendum: Videndum tamen diligenter, ne eorum vis, quod aqueum est, in humore exiccet, & quod tenue, discutiat, relicta crassiore materia, vt subinde obseruamus ab imperitis fieri, solum quae discutiant, applicantes,

Solenand.

tes,

tes, nullo emolliente vel incidente admixto. *Idem* conſ.20.ſect.1. Poſtquam fluxio deſtitit, & dolor ceſſauit, incipiatq; influxus humor diſſlari, ipſius reſolutio ſollicitanda eſt. *Verùm* ea induſtria, ne eo, quod tenuius eſt, extracto, craſſior materia infixa permaneat, quæ poſtea nodoſam reddere queat podagram, ingenitis tophis: Quare mihi placeret affectos artus tum exhalatione alicuius decocti fomentari, poſt leniter abſtergi, atque aliquo cerato obuolui: Decoctum fiat ex radice altheæ, flor. ſtœchad. lauendulæ, calamẽth. chamomæl. meliloto, adiecto pauco ſale. *Ceratum* eſto hoc, vel ſimile: ℞. diachalciteos part. iij. diachylon iriati part. j. Emplaſtr. è melilot. vel vbi magis reſoluere velis, oxycrocei, part. ß. Emolliatur, inſtillato oleo vulpino, & extendatur ſupra alutam: In hunc vſum mirè valet decoctum vulpis integri, adiectis ranis & lumbricis & herbis paulo ante dictis, vel omnibus, vel aliquibus: Vel, ſi placet,

Cautio.

Ceratum.

linimento vti, conficies ex myrrha bona, ex gummi ammoniaco extillatis per ouum coctum, admixto vulpino vel costino oleo, dissolutis lumbricis additis, & pauco sale intrito, quibus si adiiceres mucilaginẽ, quam reddit cornu cerui lima attritum, incoctum vino, magis proficuum foret: Eo subinde essent delinante morbo affecti artus illinendi. Habet idem aliud Ceratum hic accommodatissimum: ℞. Emplastri diaphœnicon. vel diachalciteos, seu diapalmæ, ℥ ij. carannæ ʒ. iij. ol. lumbricor. vel vulpin. ʒ. vj. salis vsti ʒ. ß. Euphorb. gr. iij. medullæ bubulæ ʒ ij. pul. pulpæ colocynth. gran. vj. ceræ rubr. parum, subigãtur omnia, & f ceratum, cuius pars induci debet alutæ caninæ, & parti dolenti circumuolui.

Donzellinus. *Donzellinus* quoque conſ. 229. Cum verò dolor cessarit, ac pedes laxo tumore obsessi, admouẽtur sacculi pleni furfure calefacto cũ seminibus siccantibus contusis. Iterum *Crato* consil. 247. *Frigidam materiã* euocat suc-

Crato.

cus

cus cæparum illitus, aſperſo pipere: deinde ſpongia vino imbuta, in quo cuminum coctum ſit. Helleborus albus coctus, & petroſelinum impoſitum: Ad viſcoſos humores in articulis fumus ſeu vapor vtilis ex erica cũ floribus & balneum ex eadem. Item, lixiuium ex cinere fagi cũ forti vino pedibus vtile eſt, ſi manè & veſperi ante cibum imponantur: Cum intumeſcũt membra, coque roriſmarini herbã & radicẽ in aceto, & pedes ex eadem laua. Cum deſierunt dolores, & articuli ægre mouentur, ſume abſynth. origan. agrimon. & arthemiſ. coq. in aqua & vino, & fomenta pedes. Alii in lixiuio coquunt acri, & immittunt pedes, apparet plus poſſe, ſed non ad diuturnitatem. Idem *conſil.* 246. repetit, *quod fomentationes* ex arthemiſia, origan. chamomæl. & abſynth. fiant, ceſſantibus doloribus. Habet & *Thomas Iordanus* conſ. 252. in tumore œdematoſo à podagra relicto quamplurima huc ſpectantia: Scoria ferri, inquit, candens ſæpe aqua extinguatur, aut ſimplex aqua *Thomas Iordan.*
fabro-

fabrorum, in qua ferrum extinctum sit, sumatur, in ea pedes per octiduum, vel etiam plus, manè in lecti egressu lauentur: Poterit alternis diebus commutare, & fomentis etiam siccis, è candentibus silicibus vino rubro, cui betonica & rosmarinum incocta fuerint, affuso vti: Nam ista materiam in pede collectam absumere, & robur partibus addere poterunt, siquidem exsiccant, & adstringunt, quod roborantibus medicamentis peculiare est: Cum exemerit pedes é lauacro, prunis aliquot orbiculos iniiciat, & pedes suffiat, vt si quid fluiditatis & aqueæ humiditatis nerui contraxissent, vapore isto rursus exsiccetur: Locus poterit inungi oleo ceræ, vel iuniperi, vel etiam hyperici. Trochisci ad pedum suffitum hi sunt: ℞. gummi sandarac. thuris, an. ʒ.ij. ladani puri, benzoini, ana ℥.j. cinnamom. caryophill. nucis mosc. an. ʒ ß. puluer. omnia, & cum gummi tragacanth. commisc. & formētur trochisci ad pondus drach. ß.

Laudatur à nonnullis balneum ex ligno iuniperi: ℞. ligni iuniperin. concis. lib.xij. decoq. in aheno ampliss. in aquæ q.s. ad tertias: In eo sedeat æger ad vmbilicum purgato corpore: Matthiolus id maxime extollit. Quod si *Tophacea* materia in articulis remanserit, eius extractio longe est difficilior. Hinc Poeta: *De Tophis.*

Soluere nodosam nescit medicina podagram:

Et *Hippocrates* in 2. lib. prorhetic. *De podagricis* hæc dico, inquit, Quicunque aut senes sunt, & circa articulos callos tophaceos concretos habent, aut ærumnosé viuunt, siccam aluum habentes, hi omnes sani fieri non possunt humana arte, &c. *Crato* cons. 246. *Quidam magnæ eruditionis* & authoritatis viri existimant, posse solui tophos, si caseus putridus cum iure, in quo suilla perna cocta fuerit, imponatur. *Iulius Scaliger* puluerem pyritis vsti addit. Et mox: Tempore vindemiæ immergantur pedes atq; manus affectæ vinaceis, post expres- *Hippoc.* *Crato.* *Iul C. Scalig.*

sionem

ſionem calentibus adhuc, vel muſto calido calefactis, manè per dies 15. Etſi enim hoc remedium non plane tophos diſcutit, tamen articulis maximum robur addit, &c. Quo autē vuæ maturiores, eò plus adiumenti vinaceorum vſus adfert. Idem conſ. 216. Ad remouendos tophos in iuncturis hoc vnguento vtetur: ℞. mucilagin. althe. ſem. lini, ol. chamomæl. pingued. anſeris, ol. vulpini, in quo vulpecula viua ſit cocta, ol. lumbric. terreſtr. an. ℥. ß. ſalis triti ʒ. ij. croci ℈. j. miſc. f. vnguent. molle, quo iuncturæ inungantur, & ſemper inſperg. pulu. lumbricor. terreſtr. lotor. in vino &
Hollerius. combuſtorum. *Hollerius* autem eſt, cuius meminit Crato, quod caſeus putridus diſcutiat, affirmans: Id alii paulo aliter deſcribunt, hoc modo: Cum materia in articulis indurruit, caſeum veterem ſume, & vſtum lapidem molarem pul. miſc. in decocto crurum ſuillorum: Radix item canabis cocta, & tuſa, impoſita, iiſdem conferre traditur.

Cap.

CAP. XI.

De iis, quæ administrata nocent vel prosunt arthriticis, seu declinandis, seu vsurpandis.

CVR raro curentur arthritici, præcipuas causas *Crato* sæpe citatus Medicus Cæsareus, (cuius vt celeberrimi dogmatici testimonio lubens vtor) conſ.246. reddit, dum inquit: *Cæterum, quod raro curentur, culpa hominum & imperitia Medicorum accidit: Nam vtplurimum hæreditarium est malum, vel intemperantia accersitum, ad quam cum redeant homines, non mirum, si morbus quoq; reuertatur:* Hæc ille: Vnde idem Epist.161. *Ego podagricis*, inquit, *nihil, nisi rectam victus rationem, consulendum arbitror: Quæ enim medicina vel materiam istā exhaurire vel calorem roborare potest?* *Seiler.* quoq; insignis Medicus, cuius cōsilium apud Solenan. extat *conſ. 23. sect. 4.* optime causas externas huius mali explicat, dū inqt: *Reddūtur autē* Crato. Seilerus.

pedes

pedes imbecilles contagione ſeminaria à parentibus ægris, in quibus ſemen erat vitiatum, demum Venere intempeſtiua, item conſuetudine fluxionis apti ad ſuſcipienda recrementa, quæ partim circa epar, partim in ipſo capite colliguntur: Idq; ex quotidiano cibi & potus, præſertim immoderatioris vini vſu apud eos, qui genio indulgent, & minus frugaliter viuunt, accidere ſolet. Indiget enim potus & cibus optima elaboratione, vt in nutrimentum corporis cedat, vt ea, quæ motu & calore innato abſumpta ſunt, reſtituantur: Sed cum corpus nimium oneratur, ſuffocatur calor innatus; vnde multæ cruditates & diſtillationes reſultant, quæ pedes petunt, doloresq; intolerabiles excitant. In Venere verò accedit motus, concuſſio, & articulorum calefactio, quæ faciunt, vt celerius materia defluat: Inde etiam fit, quod podagrici magna ex parte ſint ſalaces, cum ob aſſuetudinem, tum ob frequentiorem neruorum intēſionem, & quod

Podagrici ſalaces.

ex

ex decubitu in dorſum humores ad partes genitales confluunt. Idcirco Veneris abſtinẽtia & frugalitas multum conferunt; quemadmodum immoderata Venus & crapula dolores podagricos excitant, vt Poetæ experientia edocti *Podagram Veneris & Bacchi filiam dixerint*. Hæc ille. Habemus quoq; exempla quorundam, qui horum abuſu podagram, moderato vſu vero & abſtinentia ſanitatem ſibi conciliarint. *Crato* in conſiliis hinc, *Remedium*, inquit, *diuinum adimens articularem dolorem Vercellenſibus, in quodam viro quinquagenario podagrico à Marchione capto, & viginti annis in carcere detento, oſtenſum eſt, quod ſatis declarat vnicum remedium in hoc morbo ex victus ratione petendum*. A potu, quantum poteſt, ſibi temperet: De menſa ſurgens arthriticus plura appetat. Meminit eius hiſtoriæ *Franciſcus Alexander* Vercellenſis in Apollinis radio primo in deſcript. Elect. Diacorallii: Non abſimilia exempla habet *Ioh. Schenckius*

Crato.

Franciſc. Alex.

Iohan. Schenck.

in ſuis obſeruationibus, inprimis cu-
Vide ſupr. iuſdam diuitis podagrici, qui ex in-
fortunio pauper factus, adeo vt cibũ
quærere geſtandis oneribus, & curſi-
tando per valles & montes oppida-
tim coactus, podagram cum re fami-
liari reliquit. Vnde Arthritis non in-
iuria eſt Dea μισόπτωχος, id eſt, odio
Diuitum morbus podagra. habens pauperes, quæ ſit Bacchi &
Veneris θυγάτηρ, ſeu filia: Alio verò lo-
Crato: co, nempe conſil. 240. idem *Crato*
cauſam eius rei tradit, vbi inquit:
*Diætæ ratio, neceſſitate vrgente, talis ob-
ſeruetur*, qualem Franciſcus Pechius
quondam, de quo Franciſcus Alexã-
der Medicus ſcribit, eum iam quin-
quagenarium captum, morbo arti-
culari grauiter afflictum totis annis
20. turri incluſum fuiſſe; vixiſſe autẽ
ſola aqua & pane: Ea diæta beneficio
naturę materiam abſumptã, & motu
atq; exercitio articulis roboratis, ad-
eo vt liberatus nullos vnquã dolores
podagricos ſenſerit. *Ex quo perſpicuũ
eſt, immoderationẽ in victu huius morbi
Valeſcus: quaſi matrem eſſe.* Hinc *Valeſcus* me-
minit

[...]init cuiusdã Medici, qui sola trium [...]erum inedia accessionibus arthri[...]tis liberabatur. Et *Solenander* cons. Solenand. [...]. sect:1. *Obseruauimus item*, inquit, *[...]ultos cura & diligẽtia liberos se reddi[...]sse, hos, quod abstemii facti essent, illos, [...]ia Venerẽ omnino nullam habuissent: [...]nnullos, quod vsi essent continuo hoc [...]t illo medicamento, quosdam, quia hũc [...]t illum cibum tanquam noxium vitas[...]t*, &c. Sic Gatinariam iam sexage- Gatinaria. [...]rium arthritis deprehendit, quam [...]a vini abstinentia depulit, atq; in[...]lẽter vsq; ad annum 82. vitam ex[...]it: Interim stomacho conuenientẽ [...]otum sibi parabat ex decocto ma[...]ches, coriandri, passularũ *Ægineta* Ægineta. [...]bet, vt abstineant à vino copiosio[...], ac nigro, quod si fieri possit, etiam [...] totum vini potum vitent: *Multos [...]im noui*, ait, *qui à solo hoc penitus abs[...]uerunt, & omnes opem senserunt, qui[...]am in morbi principio perfecte sunt li[...]rati, quidam postea, & raro, & neque [...]lde dolorose exacerbati sunt*. Nam, vt [...]pe dictum, Bacchus pater est poda[...]æ. Hinc:

Ennius ipse pater, dum pocula sic
iniquo
Hoc vitio magnos fertur meruiss
dolores.

Hippoc. Galen. Imò *Hippocrates & Galenus* in aph risimis,& multis aliis locis, vini hoc morbo noxas satis commemora

Auicen. Et *Auicenna*, *Oportet*,inquit, *vt om no dimittatur vinum, vsquequo sa tur ex eo sanatione integra.* Et rari mum dicunt esse exemplum, vt q

Hydropota raro arthriticus. Crato: hydropota sit arthriticus. Inde *Cr* consf. 247. *Et quia*,inquit,*inter vin & brassicam naturalis quædam anti thia est, vtile creditur, si podagrici f quenter brassica & pane hordeaceo f antur.*

Riolanus. Fernel. *Riolanus* quoque ex Fernel qui in consil. 13. ad Albertum M chionem Brandeburgensem, *Pro nus*, inquit, *vt articularis dolor que piam adoritur, consueti cibi & potus midium circumcidendum est, victu tenuior & purior imperandus, quo co poris & humoris moles immodica con dat, vinum interdicendum*, &c. S nos, antequam res non naturales o

M 2 din

e, quatenus illę podagrico obser-
dæ sint, consideremus, hic initio,
n manifestissime omnibus arthri-
i sint inimicissima, tanquam in
logo, deinde, quæ conuenientia
, proponemus.

Inimica:

egumina comesta infirmant 1.
a.
Qui orobum comedunt, genuum 2.
ores patiuntur. 2. & 6. Epidem.
oma neruos lædunt. *Dioscor.* 3.
t mala Punica. *Trallian.* 4.
ructus alii nocent, exceptis py- 5.
2. cont.
etulæ gallinæ insalubres. *Ar-* 6.
.
sus Cyprinorum piscium, & o- 7.
um illorum.
inum ieiunis potum, neruosam 8.
tantiam promptissime offendit.
quitatio podagricis, ischiadicis, 9.
i genua dolent, inimicissima.
essima omnis valida à cibis mo- 10.

Officit suspensio pedum, & ira. 11.

12. Venus omnes articulari morb obnoxios lædit.

13. Auſtri diſſoluunt, & corpora hu mectant.

14. Aquilones, ſi dolor aliquis obſ derit, dolorem augent.

15. Vere articulorum dolores, autu mno coxendicum.

16. Vinum plurimum nocet arthriti cis, inquit Gordonius; quia facit pe netrare humorem crudum ad arti culos infirmos, vt vehiculum, & di ſtillationes à capite auget.

Amica:

1. Qui pane hordeaceo vtuntur morbo pedum tentari negant.

2. Pyra bona ſunt podagræ; aliis im probantur.

3. Braſſicæ eſus ſalubris: *Plin. Tra lianus* non admittit, licet vſum bu bulæ carnis concedat.

4. Quidam vino neglecto, & annu aquæ potu vſi, eo cruciatu toto vit ſpatio curati ſunt, vt aſſerit *Celſus*.

5. Sola vini abſtinentia per vniuer ſum vitæ tempus à podagra ſangui ne

nea vindicat. Teſtibus *Trall. Æginet. Aetio.*

6. *Pompeius* podager, inquit Monruus, merſit in triticum ſeſe ſupra genua, leuatusq́; eſt ſiccatis pedibus mirabili modo: Vis tanta eſt ſiccandi, vt cados plenos ſiccet, vt refert *Plin.*

7. *Rondeletius*, *Aliqui*, inquit, *cum inceperunt hoc morbo laborare, frequenter in aqua frigida natauerunt, & ſic euaſerunt morbum roboratis partibus & vaſis conſtrictis, & repulſis humoribus, ad partes internas*; quo tamen cautè vtendum.

De Diæta, ſeu legitimo rerum 6. non naturalium vſu, podagricis forte, tanquam ſurdis, narratur fabula, vtpote plærumque (non enim de omnibus ſermo eſt) incontinentiſſimis: At vt non ignis igne, ſed aqua extinguitur, ita nec arthriticorum intemperãtia, qua hunc affectum dolorificum cõtraxerunt, alia intemperantia, ſed optima victus ratione, illi contraria, curatur: Exquiſitiſſimas circa eam leges non præſcribã, qui ſciam potius

impatientiam & inobedientiam illorum ægrorum hiſce augeri & exaſperari, quàm contineri, dum ſæpe has voces ſibi ad partes extremas reditu-ras aſtantibus & Medicis inculcent, *ſi lubet, licet*, ſed ſaltem ſumma rerum capita perſtringam, in quibus tamen tota doctrina ſelectiſſima de arthriticorum victus ratione comprehenſa erit: *Sunt autem ſex illæ res: 1. Aer. 2. Cibus & potus. 3. Somnus & vigilia. 4. Motus & quies. 5. Repletio & inanitio. 6. Animi perturbationes.*

Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

Sex res nõ naturales quæ.

1. DE AERE. *Aer nebuloſus*, ventoſus, & maxime frigidus euitandus: Ideo pedes & artus bene muniantur: Euitetur noctu, ne caput contactu radiorum Lunarium lædatur: Euitet frigus, intensè calida hypocauſta, fumum; neque radios Solis, aut Lunæ, neque aerem nocturnum admittat, vt caput attingant: Conclaue, in quo dormit, ſit feneſtris munitum, ne aer noctu tranſpiret.

2. DE CIBO *eligendo & bono:*

Rectam

Rectam victus rationem appello, quæ neque in qualitate, neque in quantitate peccet: Simplicissimus cibus est, qui non peccat in qualitate, (itaque varietas ciborum vitanda,) nec multum humorem generat. Panis sit purus ex optima farina tritici, cui furfures proprii adsint, bene fermentatus & coctus in furno. Veruecina tutissime vtetur & bouina tenera. Vescatur carnibus magis assis, quàm elixis. Condîtos nimium cibos vitet, & simplicissimo contentus sit. Carnes bonas, & sanas, quibus vtendum, appellant Medici vitulinas, bouinas iuuenes, veruecinas; item auium, quæ non in locis palustribus degunt. Capparum & oliuarum vsus tutior. Butyrum pro condimento parcé conceditur. Admittuntur & aliqui pisces in minima quantitate, ac raró, in craticula assati aut elixi, cum pauco aromate conditi: Frixi in butyro, sunt deteriores; interdum & quidam saliti, vt sardi, haleces. Oua sint recentia, tenera & tremu-

Panis pure similaceus mihi suspectus.

Carnes bonæ quæ.

tremula, minime indurata, aut frixa. *Crato quoq;* consl. 240. *Possunt*, inquit, *vtiliter gallinæ assari, aut adiecto carnis bubulæ frusto coqui.* Quantitas autem sit ea cibariorum, vt de mensa surgẽs plura semper appetat, neq; vnquam sese cibo ita repleat, vt nullum illius desiderium relinquat. Hinc ex præscriptione probatissimorum authorum *Regulas salutares, qui cibi boni eligendi, aut mali vitandi sint*, recensebimus.

Quantitas ciborum.

Regulæ salutares de cibo.

1. Mensæ ne sint æquales, sed cœna semper leuior.

2. Inter vnam & alteram mensam nullus cibus aut potus ingeratur.

3. Molles cibi, ac liquidi, semper durioribus præmittendi.

4. In eadem mensa ciborum varietas vitanda.

5. Si quid nimia mensa est peccatum, sequentis mensæ parsimonia corrigatur.

6. Semel in septimana vna mensa omittatur.

7. Cibus non deglutiatur, quin in ore probè masticetur.

8. Nullus sumatur cibus, nisi priore concocto, ad quod octo horæ in imbecilli stomacho requiruntur.

9. Ea sit cibi & potus mensura, quam vsus docet commodé ac sine labore conficere posse.

10. Oportet distincta spatia prandii atq; cœnæ obseruari.

11. Post cibum neq; statim bibat, neq; dormiat.

12. Podagricis cauendum à gallinarum & caponum carnibus, quia multi sunt nutrimenti, vt Crato consil. 224. monet, vbi addit: *Sunt magni Medici, qui vsum brassicæ singulariter commendant, & laborantibus podagra tunc, cum adest dolor, solam brassicam edendam præscribunt: Hoc quidem certum est, quo victus parcius alimentum præbet, eo salubriorem esse.*

13. Victus ratio subducta parcaq; sit, cœna prandio parcior, aliquando intermissa: A poculis, præterquam in prãdio cœnave, abstinendũ: Potus

enim

enim maiorem vaporum materiam præbet.

14. Diæta omnis ſit exiccans, ſimpliciſſima.

15. Oportet piſces, cancros, lacticinia cruda omnia à menſa remoueri.

16. Cibi ſunt nuce moſcata, caryophill. mace, cubebis, cardamomo, roremarin. ſaluia, maioran. condiendi.

17. In menſa perpetuus ſit vſus ſequentis pulueris, loco ſalis : ℞. zinz. alb. ℔.ß. cinamom. caryophyll. aut in hyeme piperis, ana ℥.j. miſc. f. pul. Si in aceto ponatur cochlear huius pulueris, fit optimus intinctus, embamma.

18. Panis cymini & carui ſem. ſit conditus.

19. Nunquam comedat, niſi calidos & ſiccos ſentiat pedes.

20. Non commiſceat in prandio vel cœna piſces & carnes.

21. Frixa, artocreæ, pinguia, pru-

na ſicca, etiam cocta, ſunt inſenſiſſima ventriculo.

22. Peſtilens eſt ciborum varietas, vſus fructuum, & pomorum.

23. Legumina craſſum ſuccum generant.

24. Anſerinæ carnes, ſuillæque, nimium humoris excrementitii habent.

25. Pinguia euitanda, quod ſua humiditate membra relaxent, & idonea ad recipiendos humores reddant.

26. Capones, qui & ipſi creberrime podagra laborant, non ſunt vtiles.

27. Acetaria, quia acetum nocet neruoſis partibus, non ſint in frequenti vſu.

28. Cancri, & omne genus teſtaceorum conchylium & oſtrearum damnatur.

29. Pyra & cydonia damnantur, (nimio ſcilicet vſu.)

30. Caſei vſus maxime nocuus,

quia

quia ille hic, ſi alibi vnquam, eſt nequam.

31. Interdicant vſum pomorum, caponum frequentem, anſerum, & carpionum. *Crato conſ. 246.*

32. Cato, & multi alii, braſſicam, & alia, quæ pauciſſimum alimentarium ſuccum ſuppeditant, commendant.

33. Vitanda, quæ plurimum nutriunt, & quæ flauam & pallidam bilem generant.

34. Vſus carnium ſit temperatus, præſertim gallinacearum: Ab iis autẽ, quæ vel crudos vel corruptos humores generant, prorſus ſibi tẽperet.

35. Carnes gallinarum neſcio quomodo ſuſpectæ ſunt, ſed coctione cũ bouinis carnibus, illa humoris tenuitas, quæ ad fluxibilitatem materiæ facit, emendari poteſt.

36. Vitulinam etiam non ſatis adultam minime probo: Item, pingues omnes, maxime agninas & ſuillas, non attingat.

37. Legumina pauca conueniunt, præter hordeum decoctum.

38. Ab anguillis, cancris, plane abſtineat: fungos, carnes ſuillas, lacticinia vitet, cruda omnia fugiat; lactucã modice ſumat, à fructibus abſtineat, (exceptis fragis, ceraſis rubris ſubacidis, & perſicis bene maturis in prima menſa.)

39. A vehementi repletione & cibi & potus abſtineat, atq; prandio & cœna ſit contentus; fugiat ientaculũ, merẽdã, & cõmeſſationes nocturnas.

40. Vbi extremi dolores excruciant, tenuis victus eſt ex vſu.

De potu eligendo bono: Vinum ſimpliciter nõ conuenire arthriticis, ſæpius dictũ eſt ſuperius; de quo ita authores: Vinũ tenue & nouum nocet magis, quã generoſum, & vetus, ſed parcè ſumẽdum. Vinum ſaluiatũ roborat & ſiccat vniuerſum corpus, vinũ abſynthites ventriculũ. Vini carẽtia maxime confert. A vino forti ſibi temperet. Ab Vngarico, Auſtriaco, dulcib. omnib. & impuris abſtineat. Vina medicata tñ ex carduo benedicto vel betonica ꝓſunt. Vinũ ſolet ꝑcipitare materiã ad locos debiles: ſed *Vinum.*

cum

Quæ vina aliquando conceduntur. cum fortaſſe vino aſſueuerit, nec eô carere poſſit, vtatur Rhenano minime forti vel crudo, & ei aliquid rubri vini, quod à pede anſerino nomen habet, affundat. Inter omnia Rhenana ſaluberrimum podagricis illud, quod à pede anſerino nomen habet, ſi moderate ſumatur, vel tenue vinum Rhenanum affundatur: *Rheinfall.* Pucinum vinum, ſi ſit purum, neque nimium vetus, item Roſatum, vt appellant, innoxia, modò aurea mediocritas diligatur, à Medicis exiſtimatur. Rhetica etiam quidam & Burgundiaca probant, ſed clara & annicula. Vina Cretica, & ſimilia potentia, ſunt vitanda. Vinum quodcunque ſit clarum, non admodum dulce, nec acerbum, nec acidum, neque adeo potens: Nam vina acida podagricis noxia ſunt. A Morauicis, Auſtriacis, Vngaricis, dulcibus, & craſſis vinis omnibus ſibi temperet. Vſum Neccarici & tenuiorum vinorum quidam innoxium putant, verùm cum ſeroſi humoris in corpore inſtar

instar ſit, admodum falluntur: Præſtaret eos, qui ventriculo debili ſunt, potius parum vini Vngarici vel Maluatici bibere, quàm tenuia vina copioſe haurire. *Crato* conſ. 246. Vina potentia & acetoſa fugienda; nec prius bibendum, quàm cùm ſolidior cibus ingeſtus fuerit. Valde enim noxium eſt, ſumpto ſaltem iuſculo, aut pauco cibo, vinum bibere, multo vero magis inani & ieiuno ventriculo, vel iam concoctionem cibi elaborante, vino ſe obruere: In vino maceretur herba veronica, & illud bibatur. Fugias vina corrupta. Vinum nõ conceditur arthriticis, niſi ſint debili ventriculo. Vinum ad fluxionem facit, ſed in debilitate ventriculi, vino non temere interdicendum eſt. Vinum relinquat omnino, aut ſaltem per annum, ſi neque hoc, per menſem, aut denique tempore curationis. Rhenana quidam ſalubria putant, nequaquam vero omnia ſunt, maxime autem ſulphurata. Mulſa bene cocta, condita roremarini. vel *Crato.* *Mulſa.*

ſaluia, coriandr. ſem. ſunt ex vſu. Inprimis cereuiſia pura & defæcata ſit potus, aut hydromel Lithuanicum, quod fortaſſe minus moleſtum eſſet, ſi vnum aut alterum folium ſaluiæ imponeretur, aut etiam cum illo decoqueretur. Cereuiſia ne ſit recens, neq; vetuſta nimis. Si ſola cereuiſia triticea tenui contentus eſſe poſſet, haud dubie plurimum adiumēti ſentiret. Cereuiſia, in qua rad. caryophillat. ſicca macerata ſit, non offendit neruos, roborat cerebrum, & gratum ſaporem contrahit. In gracilioribus aquæ potus vtilis maxime: nam frigiditate & diuturniore in viſcerib. mora curſum ad articulos humorum & fluxionis impetum intercipit. Hydropotæ enim, vt dictum, raro ſunt podagrici. Potio aquæ puteanæ, vel glacie, vel ſale nitri frigidior reddita, ſumme vitanda, quod ventriculo & neruis maxime inimica ſit.

Cereuiſia. Hydromel Lithuanicum.

Aqua.

Regulæ de potu ſalutares.

1. Potus quantitas non ſuperet alimenta ſicca.

2. Nunq̄ bibat, niſi cū cibū ſumat.

3. Po-

3. Potus maiorem vaporum materiam præbet, & vtramq; arthritidis causam auget, & ad paroxysmi generationem incitat: quare maior eius habenda cura.

4. A potu, quantum potest, sibi temperet.

5. Euitãda temulẽtia, & ebrietas, quæ corporis & animi vires eneruãt.

Tantum de cibo & potu, in quo longiores fuimus; quia Bacchus & Luxuria progenitores sint arthritidis; in sequentibus futuri breuiores.

3. *De Somno & vigilia*: A somno diuturno abstineat, nisi noctes duxerit insomnes, quo casu non statim à cibo erit dormiendum, sed interiecto saltem horæ spatio: Somnus octo horas non excedat, nec septẽ sit breuior: Horis tribus post cœnam cubitum eat. *Crato* consi. 248. *Pro somno nihil vtilius, quam vesperi solo vino Pucino vti* (Rheinfall) *sed bene defæcato, quòd si flatus generaret, corrigi posset, admistis foliis rorismarini in eo maceratis.*

Equitatio noxia. 4. *De motu & quiete:* Omne exercitium, præterquam equitatio, conducit, corpore non admodum humoribus grauato, nec pleno ventriculo: Exercitium ſemper cibum antecedat, & hoc ſibi perſuadeat, quod in depellenda podagra nihil vtilius, quàm hebdomadatim bis exercere corpus ieiuno ventriculo, vſque ad ſudorem, & ſe dare lecto calido, & ſudare, abſque virium deiectione: demum mutata interula frugaliter prãdere. Extra paroxyſmum cum nullus dolor eſt corporis, exercitatio ſaluberrima: Item vectio, venatio, equitatio, ludus pilæ, ambulatio: Cum licet, per pedes ſemel quotidie corpus exercitio incaleſcat: Nam ſanitatis ſtudium eſt, *Non ſatiari cibo, & impigrum eſſe ad laborem.* Deambulationibus, & inferiorum partium exercitiis, maxime ante cibum, capitis plenitudini medebimur: Poſt cibum motus tardior: *Frictiones.* Frictionibus partes imbecilliores atque exercitiis confirmari debent,

præ-

præcipuè ſiccis ex linteo, vel ſolis ex manibus diu multumq; fricando: Sic enim eo, quo non infeſtantur tempore, & potiſſimum ſi duabus aut tribus horis doloris acceſſionem præuerterint, partes roboratæ non minimum iuuamenti percipient, & conſuetas defluxiones multo minus recipient. Frictio matutina ſubit eius (exercitii) locum, ſiquando præ infirmitate corpus exercere nequit: Fricandum igitur caput mediocriter, extrema deinde magis, vniuerſum denique corpus linteis ſiccis aſperioribus: Nam dura frictio denſat duratq; cutim, mollis laxat: laxitas autem ex balneo, mollibus frictionibus contracta, matutinis frictionibus omnino duriuſculis, mox & cum oleorum adſtringentium aliquo auferetur: Sic lotiones capitis ex polytricho humiditatem abſumunt. *Rondeletius*: Nam dolentibus dolorem inducere non debemus, ſed eum potius acopis ſedare: Verùm vbi corpus fuerit purgatum, & laſſitu-

Dura frictio conueniens.

Rondeletius.

Lotio capitis.

Exercitio quando vtẽdum. do curata, tum exercitio leui & frictione partes erunt corroborandæ. Multum ſtare nocet, ſic inceſſus velox & vehemens. Cauendum ab omni corporis vehementiore exercitio, præſertim à paſtu. *Capiuaccius* cõſil. 232. *Capiuac.* Caligas infra genu non liget; nam hoc, ſi quid aliud, facit ad podagram excitandam: Pariter etiam habeat, quod pedes aut comprimat, aut adſtringat.

5. *De repletione & inanitione: Crato* conſil. 224. *Crato:* Venus ſit moderatiſſima. Balnea, niſi ſudorifera, nulla. Aluus vt quotidie ſit aperta, operam det. *Vomitio.* Si facile vomere poſſet, nihil conducibilius, quàm ſi vel ſingulis menſibus, vel certe tunc, cum acceſſiones timendæ, vomitu ſe expurgaret: ſed vt naturæ quaſi vim faciat, nõ ſuadeo. Vtiliſſimum autem eſt podagricis, vt ſingulis diebus manè in *Sudatio.* lecto ſudent, & ſi non conſueuere hoc, facere adſueſcant: Nam ſeroſi humores plurimum ſunt podagricis noxii: Itaque per ſudorem & vrinam

nam expurgandi: Si aluus non respondeat, arte commoueatur suppositoriis vel pilulis subscriptis ante cœnam vel prandium assumendis, pondere ʒ. ß. ℞. bdellii albi & mollis, aloes tribus diebus in lacte infusæ, rhabarb. elect. ana. incorporentur cum succo absynthii. Ad eandem intentionem *Capiuaccius* consil. 232. *Procurandum est*, inquit, *vt aluus quotidie faciat officium*: Id autem cibis lubricantibus, aut leuibus medicamentis fieri potest. Cibi, qui id præstare poterunt, sunt fercula ex beta, spinachia, brassicave, oleo & sale confecta: Caricæ quatuor aut sex in prima mensa sumptæ: Pruna optime matura ac dulcia recentia quatuor, aut plura, si parua sint, sicca macerentur in vino dulci, ac in eo coqu. aut in iusculo pinguiori, adiecto saccharo, aut optimo melle: Poterit & hoc præstare passularum vsus, si sub dio fuerint expositæ quatuor aut quinque noctibus, resperſæ saccharo Thomasino, *Capiuac.*

non admodum albo, si earum sumpserit ij. aut iij. cochlearia, & eas optime masticauerit initio prandii, sique cum iis comederit offam panis confecti ex tenuiori parte furfuris, pauca adiecta farina, & mellis modico. *Medicamenta lenientia* sunt cassia ex arundine excepta ad quant. ℥.iij. cum arundine: Aluus quoque aperitur, si in vino Pucino (Germanis Rheinfall) pruna Borinnensia macerentur, & ante cœnam edantur: Butyrum cum saccharo optima est medicina senum in aluo lenienda: ℞. rad. petrosel. & bene coquatur, add. butyrum recens, & saccharum; deq; eo brodio haustus sumatur ante prandium, & calculo & aluo leniendæ conueniet: Quantum vero sit momenti in aluo lenienda podagricorum, nostro tempore ante paucos annos in summo Principe, qui eam ob causam Medico præsenti multa donauit aureorum millia, animaduersum est: Dicitur autem ille Medicus eccoproticon medicamentum habuisse,

Aluus lenienda.

habuisse nullius saporis, omniq; liquori permiscibile, quod certe illi plus, imo centies tantum, quantum aureum emplastrum Galeno ab illo diuite, lucratum fertur, si vera sunt, quæ populares rumusculi iactant: De vomitione, quàm vtilis sit in præseruatione & curatione huius mali, iam ante ad nauseam inculcauimus: At Cypria illa Amoris mater, quæ Podagram ex Baccho edidit in lucem, non minima causa est, (si non auia) ex Podagra Doloris: Illa nisi abigatur, tenellum hunc pusionem nimis fouebit, & tandem Morbi sorori commendabit. Exiuerunt Africæ quidam populi aliquando in bellum aduersus Austrum ventum, quod ille regiones suas immodicis flatibus infestaret; at meo iudicio arthritici omnes bellum indicerent illi Deæ, quæ adeo suauis est, vt homines illi mancipati potius in Deum ipsum & sacrosanctam Medicinam, DEI donum, ipsosque Medicos, culpam omnem, cur ab arthritide non cu-

Quæ vitanda inprimis.

rentur, & ſic à Dolore, Podagræ filio, macerentur, quam in ſuam intempeſtiuam, & immodicam corporis ſalacitatem, transferant, & conuertant: Sit equidem amica, ſed ſanorum, & ratione magis, quàm pecuina voluptate ductorum. *Sed de his ſatis.*

6. *De animi perturbationibus*: Vitandi animi affectus, & curæ prudentiæ fræno moderandæ: Vacet ab ira & triſtitia, viuat lætus, habeat ſemper confabulatorem, cum quo delectetur. De Iſchiade, arthritidi affini malo, tradunt, quod Muſica curetur, teſte Theophraſto antiquo authore, & Gellio; quia vis animalis per conceptum à loco paſſo auertitur; quemadmodum Iſmeneas Thebanus tibiæ ſono ab Iſchiade plures Bœotiorum ad incolumitatem reſtituiſſe dicitur, vt eſt apud Ælianum in Gellii acceſſione & Philelphum annotatum: Idem etſi circa podagram contigiſſe, non (quantum ego noui) expertum ſit, tamẽ facile hinc

colligimus, quod (vt Empyrici ſolent) per applicationem ſimilis remedii ſimilis affectus iuuari poſſit.

CAP. XII.

De prognoſticis, quæ curationem negligentibus, & medica auxilia floccifacientibus, Veneris & Bacchi prolytis, arthriticis immoderatis, prænuntiantur.

ETSI hactenus dictis omnem curandi rationem ad arthritin, hoc eſt, podagram, gonagram, ac chiragram ſpectantem, ſatis elucide & copioſe produxerimus, omnibusque bonæ voluntatis candidè, veluti nos ipſi, aliique dogmatici Medici eam curauerint, impertiuerimus, tamen Mimus & Momus ſibi neutiquam ſatisfactum dicent, obiicientes nunc hanc, nunc illam friuolam quæſtionem: Eorum alii, quod aliena remedia & teſtimonia vſurpauerimus; alii, quod noſtra tanta pro-

protulerimus, nonnulli neſcio quid aliud increpabunt. Quidam plures eſſe ſpecies & cauſas arthritidis, quã ego hic tradiderim, affirmabunt: quibus aſſentior: Eſt enim arthritis ex pituitoſo & ſeroſo humore ſimplice, eſt ex eodem cum bile mixto aliquando, ſi non ſemper, tamen nunc magis, nunc minus; Eſt arthritis ex nuda intemperie calida vel frigida abſque humore; Eſt arthritis vaga, cuius *Crato* conſ. 247. meminit. Eſt & arthritis ſenilis; Eſt & Gallica: Et Iannitius collagram & dorſagram appellat, illam trachellagram, hanc rachiſagram vocat Paræus cap. 1. de arthritide. Sed omnes hæ differentiæ non ſunt tanti momenti, aut frequentiæ, vt peculiari tractatu aut capite de iis tradi debeat: Quæ enim rariſſime contingunt, ad ea, quæ frequentiſſime, facile reduci à rationali poſſunt: Quocirca iam dictis non dubitamus abſolutam arthritidis præcautionem ac curationem comprehendi; quam ſi quis magis emun-

Arthritis quotuplex.

ctæ

ctæ naris comptiorem postulet, ipse pro suo genio sibi fabricet, eoq; sese oblectet, quantum velit: Quod autem aliorum experimenta & verba adduxerim, non ideo factum, quasi mihi hac in parte ipsi res aut verba deessent, sed vt, quod semel & centies fuit, inq; ipsa veritate toties comprobatum, idem & nunc tale æstimetur: Non autem medicamenta floccifacienda sunt ideo, sed in summo pretio habenda: Eadem est natura hominum, eadem similium morborum, eadem tragœdia cum illis hic agitur, sed personis mutatis: Adsunt quotidie noui ægri, præter consuetos quoque noui morbi, sic & Medici: Si iam quilibet ex Medicis non velit præcedentium Medicorum vestigiis insistere, & ab ipsis quasi experientiæ & remediorum lampada incensam accipere, sed semper noua atque noua remedia inuenire, antiqua negligere, recepta & probata fastidire, næ ille cum ratione sua insaniret, & de humano corpore ludum

dum ageret: Certe ipſe, ſi quiſquam alius *faciet experimenta per mortes, & lucrabitur animas*, vt *Plinius* de indoctis Medicis facetè loquitur: Vinum, aurum, ſeu numum, amicum, & medicamentum ab antiquitate ſua merito commendamus; aliter eſt cum rebus aliis: Quod verò noſtra protulimus, nec ideo culpandi ſumus, magis ſi celaſſemus præ omnibus: Dogmaticam ſemper medicinam profeſſus ſum, & adhuc excolo, quicquid ex Chymia mihi acquiratur, tanquam ancilla, id omne illi Dominæ acceptum fero; Sed Candidati me etiam tacentem excuſabunt, ſat ſcio: Nunc ad ægros me conuerto, qui ſi dictis ſint immorigeri, neſcio, num magis ſuis prognoſticis relinquendi, an vt curationem admittant, perſuadendi ſint. Meminí, me aliquando à quibuſdam

C.F.O proceribus incitatum, vt Comiti cuidam tum podagrico inſinuarer; quod cum per alios amicos factum, qui eius incolumitatem lubenter vidiſſent,

dissent, ipse æger, nescio qua melancholia persuasus, respondit, se suam podagram potius retenturum, quàm aliorum in se medicamenta experturum: Suo itaque merito regiam illam Bacchi & Veneris progeniem ipse retinuit, eius incursiones semestres non sine dolore & gemitu expectans, & sentiens. Quid huiusmodi agendum erit, quibus ipsa Suada non persuaderet, Podagram in plærisque non intemperatissimis curabilem esse: At illi bene prouident, se Medicorum regulis adstringi non posse, nec suauissima libertatis munera, ingluuiem, luxuriam, voluptatem, iracundiam, ebrietatem, incontinentiam, & id genus alia sensuum irritamenta, abdicare velle: Vt itaque *voluptas* & *dolor* perpetuis catenis colligati maneant, ab ipso Fato, aut prouidentia diuina ordinatum est: Tales enim seipsos pro deploratis proclamant, & meritò à Medicis se delinquendos iudicant:

cant: Putant illi, non ſibi, ſed Medici ignorantiæ huius affectus curationem, rariſſime felici euentu abſolutam, aſſcribi debere; ſed falluntur: Sunt enim Medici quãplures methodo dogmatica inſtructi, & in artis operibus ſatis exercitati, qui niſi ipſi patientes ſibi impedimento eſſent, quamplurimos, ſi non omnes, podagricos curarent: Non opus erit hic prolixa probatione eorum, qui hoc malum curarunt, cum exempla ſint adeo frequentia, vt numerari vix

Solenand. poſſint. Vnicus mihi *Solenander* hoc loco recenſendus eſt, qui conſ. 1. ſect. 5. *Quandoquidem*, inquit, *hic morbus aut medentium imperitia, aut ægrotantium ſolutiore vitæ genere, aut inobedientia, quod in Cæſaribus & Principibus viris obſeruatum eſt, aut alioqui fatali quadam corporis diſpoſitione ſubinde non percuretur, factum eſt, vt plerique omnem articularem morbum, tanquam inſanabilem, ſuſpectum habeant, cum tamen minus recte iudicent: Etenim & percuratum alias nouimus, & nos non*

paucos

paucos in multos annos immunes etiam leuiore curatione reddidimus, qui antea singulis semestribus, & frequentius etiã, tentabantur; quorum quidam adhuc superstites ipsi fidem facere possunt: Circumspectius Poeta addito discrimine de fortuna huius morbi locutus est, vti inquit: Soluere nodosam nescit medicina podagram. Et paulò pòst: *Adscribam, quæ diuinus Hippocrates* in 2. lib. prorheticor. in podagricis obseruata cõsignauit: quo & prognosticum comprehẽdit, & curationis modũ quendam ostendit. *De Podagricis hæc dico,* inquit *Hippocrates, Quicunq; aut senes sunt, & circa articulos callos tophaceos concretos habent, aut ærumnose viuunt, siccam aluum habentes, hi omnes sani fieri non possunt humana arte, quantũ ego noui: Sanant quidem hos optime dysenteria, si superuenerint, sed & alia eliquationes,* ἄλλαι ἐκλήξιες, *valde prosunt, quæ ad infernos locos repunt: Qui vero iuuenis est, & circa articulos nondum callos tophaceos habet concretos, & accurate viuit, & laboris amans est, & aluum*

Hippoc.

Prognostica, qui agri sanabiles, qui non.

" *bonam habet ad obediendum, pro studio-*
" *rum ratione, hic sane Medicum intelli-*
" *gentem nactus sanari poterit. Vides Hippocratem morbum hunc sanabilem aut insanabilem constituere pro causæ vtriusque, quam antea designauimus excessu vel defectu.* Hæc *Solenander*. Præterea quidam ex ægris sinistre iudicant in eo, quod putent, si quis Medicorum podagram curare possit, eum omniũ ditissimum ex lucro tot hominum diuitum, podagræ litantium, euasurum: Hinc in Anglia Thesaurarium quendam podagricum, cum ei nunciatum esset ab amico, adesse Medicum, qui podagram curare sciat, dicunt, quæsiuisse, *quot famulorum comitatu, & quam splendide incedat?* Cumq; respõsum esset, habitu communi, vno vel nullo interdum famulo eum videri; Regessit Thesaurarius: *Nugas esse, quicquid dicerent de eius scientia: Nam si posset podagricos curare, illum se longe ditiorem fore, ac centum famulis stipatum incedere posse.* At bona verba: Nulla enim est consequen-

ſequentia, quod ille, qui diuites podagricos curat à ſuo affectu, & ille euadat diues: Non enim diuitiæ per tranſplantationem, vt aliquando morbi, in alium tranſeunt: Verum quidem id eſſet, niſi podagrici illi ipſi & eſſent (ſecundum Martialem) chiragrici, cum Medico quid dandum ſit: Niſi exempla odioſa forent, innumera produci poſſent: Non de omnibus, ſed plæriſque hic loquor: Quod itaq; non curentur quamplures arthritici, in cauſa eſt, 1. Medici imperitia, vt Empyrici, vel alterius indocti: 2. Ægri incredulitas, & pertinacia, qui cum aliquoties ab Empyricis circumforaneis circumuentus ſit, nulli Medico quoq; vero fidem habet, ſuo infortunio. 3. Ægri incontinentia Medici conſilio ſe nõ, niſi verbotenus, ſubiicientis. 4. Auaritia & ingratitudo eorundem erga eos, quibus gratia debeatur. 5. Eſt iuſtum Dei iudicium, qui malo nodo malum cuneum adaptat, hoc eſt, *voluptati dolorem*. 6. Quia morbus hic

Podagrici cur raro curentur integre 7. cauſa.

vix vult agnoſci ab ægro, ne ſcilicet videatur incontinentiæ morbo laborare, antequam per multos annos radices egerit, & naturam & temperiem partium labefactarit. 7. Quia Medici dogmatici raro eius curam ſuſcipiant, cum ipſis vix fides aut obedientia præſtetur, ſed plærumque Empyrici, qui ſi dolorem ſedare, aut materiam violenter educere poſſint, ſe podagram curaſſe autumant: Cætera ne moremur, hæc ſufficere poſſunt, cur rarius podagrici, quàm febricitantes curentur, aut alii ægroti.

Reſponſio ad 2. Qui *igitur podagrici ſunt* ex ſecundo ordine iam dictorum, damnent primò ſuam credulitatẽ, quod ſe ſuumque corpus indocti circumforanei, qui Medici perſonam falſo ſuſtinuit, & ſimulauit, arbitrio ſubiecerint, nec potius Medicum doctum iudicio, ratione, experientia, & methodo dogmatica inſtructum elegerint: Ipſi enim hic geminum errorem commiſerunt, in falſo nimirum eligẽdo, & vero dimittendo Medico, quem

tertio

tertio multiplicant, dum nulli vero etiam Medico post fidem adhibeāt, aut sanitatem suam committāt. Qui hunc affectum patiuntur, & sunt ex tertio ordine, seipsos accusent; sunt enim sibi instar flagelli ipsi. De virtute referunt Ethici, quod sit media inter vitia extrema, & quod qui aureā illam mediocritatem relinquat, in extrema scilicet vitia incurrat, vt e.g. qui desinit esse temperās, fiat intemperans, qui parsimoniam relinquit, ad auaritiam vel profusionem declinet: Ita est quoque in omnibus aliis disciplinis, ac præsertim in Physica: In ea sunt symmetriæ numero, pondere, mensura, qualitate, quantitate, & situ conueniente constantes, quarum si modus excedatur, mox fit dissonantia, ametria, & dissensio: Ad illud sanitas, ad hoc morbus refertur: Ad illud moderata omnia in cibo, potu, Venere, somno, vigilia, & cæteris similibus referuntur; ad hoc podagra, & quodcunq; symptoma grauiusculum; quomodo igitur illi ali- *Ad 3.*

ter fore desiderabunt, quàm natura patitur; discrasia est, quam committunt in vita, inde discrasia in sensu ta-
Ad 4. ctus, qui est dolor, sequitur. Ad quarti ordinis Euclyones nihil dicam, nisi quod ingratitudinis vitio laborantes erga benefactorē Medicum, eodem erga Deum, à quo est sanitas omnis, afficiantur: Æquiuocatione vti sciūt politica, *quia promissa tenent*: At nil mirum; quia quo minus spatii de vita restet, eo plus viatici auari homines ad mortem ituri expetunt. Contra
Ad 5. quintos nil addam, nisi quod magis commiseratione, quàm increpatio-
Ad 6. ne egeant. Sexti ordinis quoq; neutiquam excusandi sunt, qui blandiantur sibi, donec podagra pariat dolorem; tum enim has miserabiles voces audire licet: *Nil nisi podagra est*: Præposterum sane videtur matrem à filio nomen accipere, ac non potius filium à matre. In eo apparet, quantam suæ sanitatis curā habeant, quod prius malum hoc agnoscere nolint, quàm totum corpus transierit, & in

mari-

manibus vel pedibus fixum ſibi domicilium elegerit: Præſidiarii illi milites nulla laude digni ſunt, qui hoſtẽ in ciuitate non ſentiant, niſi per omnes vicos, in forum vſq; ad pomœria & extrema vrbis peruenerit: Sic ii, qui podagram in ſuum corpus inſultus toties facientem paſſi ſunt, antequam doctum & rationalem Medicum in auxilium conuocarint. Cum illis itaque, vt cum Troia agetur, vt mox ſit *campus, vbi Troia fuit*, hoc eſt, morbus ex curabili fiat incurabilis, potius prognoſticis, quàm Medici auxiliis, quæ multis profuerunt (ne in contemptum veniant) addicandus, & relinquendus. Quod verò Medici plæriq; cum eiuſmodi *Ad 7.* deploratis arthriticis nihil commercii lubẽtes habeant, cauſa multiplex eſt narrata, nullo modo ipſis vitio vertenda. Si enim pœna dignus eſt, qui in culpa, æger ipſe vtriq; obnoxius videtur. Sed hæc non in opprobrium (quod abſit) ægrorum dicta *Cur hactenus dicta.* intelligi velim, ſed vt quiſq; ſe ſuum-

que

que affectum agnoſcat, Medicum fidelem & expertum quærat, ſanitatem, arthritide omni abacta, recuperet, & Deo optimo maximo hinc æternas laudes ac gratias referat, cui ſoli ſit gloria.

FINIS.

que affec
fidelem &
tatem,art
peret,
hin

